

C P

Vice Chancellors

1735 Steph Niblett DD All Souls
1736
1737
1738
1739
1740
1741
1742
1743
1744
1745
1746
1747
1748 John Purnell DD New College
1749 the Same
1750 John Brown DD University
1751 the same
1752 the same
1753 the same
1754 George Huddesford DD Trinity
1755 the Same
1756
1757 Thos Randolph DD Corpus Christi

Heads of Colleges in Oxford

Dr John Brown DD —	University
Dr Theo Leigh DD —	Baliol
John Purnel DD —	New College
Steph Niblet DD —	All Souls
Thos Jenner DD —	Magdalen
Francis Yarborough DD	Brazen Nose
Geo Huddesford DD —	Trinity
Thos Pardo DD —	Jesus
Geo. Wyndham DD —	Wadham
John Ratcliff DD —	Pembroke
Wm Gower DD —	Worcester

before 1749

1750 John Robinson DD Merton
— Francis Webber DD Exeter
1751 Thos Randolph DD Corpus Christi
1755 or 1756 Chardin Musgrave DD Oriel
Joseph Browne DD Queens
Richd Hutchins DD Lincoln
David Gregory DD Ch. Ch
Wm Walker LLD St John Bapt
Durel AM Hartford



W. Percivale
ex Dono Annæ Dodwellæ



Henrici Dodwelli
DE
PARMA EQUESTRI
WOODWARDIANA
DISSERTATIO.

ACCEDIT

THOMÆ NELI Dialogus inter Reginam ELIZABETHAM & ROBERTUM DUDLEIUM, Comitem LEYCESTRIÆ & Academiæ OXONIENSIS Cancellarium, in quo de Academiæ Ædificiis præclare agitur.

Recensuit ediditque
THO. HEARNE, A. M. OXONIENSIS,
Qui & DODWELLI Operum editorum
Catalogum præmisit.

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO, MDCCXIII.
Impensis Editoris.

Ex Annott. in p. 326. Vol. I. T. Livii Hist. Ed. Oxon.

Nondum omni auro appenso.] Dum Livium edo Vir doctissimus JOANNES WOODWARDUS, M. D. ut Antiquitatis studiosos pleniori obsequio demereatur, publico dedit Clypeum votivum antiquum, arte exquisita summaque elegantia fabricatum: qui nobis ob oculos ponit *Romam à Gallis, duce Brenno, captam & incensam: auri, pro Capitolio redimendo pacti, pensationem: adventum Camilli: metum fugamque Gallorum: ædificia varia publica:* [1] *equites, pedites: galeas, saga, caligas: ephippia: clypeos, gladios, pila, & vexilla.* Cujus ectypum, forma minutiore expressum, quum Livio illustrando inserviat, tecum, lector, communicatum esse voluimus; id beneficii tibi nobisque non invidente clarissimo Clypei istius possessore. Prisci ævi monumentum esse, nemo, nisi malevolentia suffusus, inficiabitur. Non tamen cuivis in proclivi est conjicere, cujus ætatis opificium sit. Verum quum in eo conspiciantur Amphitheatra è lapidibus structa, quæ apud Romanos post [2] Augusti tempora in usu esse cœperunt, mediæ Antiquitatis esse existimamus: infimæ enim adjudicari prohibet elegantior artificis manus. Verisimile est, quum moris antiquis erat scutis [3] inscribere præclara majorum facinora, ab aliquo è gente Furiana (forsitan & illo, qui arte militari sub Claudio inclaruit, teste Tacito in Annalibus) factum esse.

---

1 Romanos equites detractis frenis sæpe pugnasse docet ipse Livius, lib. XL. cap. 40. Vide item L. Flor. L. I. c. 9. ubi moris istius primum exemplum habemus. 2 Vide Lipsii lib. de Amphitheatro, c. 5. 3 Vide cl. viri HENRICI DODWELLI Dissertationem ad Fragmentum Livii lib. XXII. cap. 18. & Silium Italicum lib. IV. v. 146.

W. Percival

VIRO

VIRO
Ingenio & eruditione Illuſtri
JOANNI WOODWARDO,
Medicinæ Doctori,
Ejuſdem Facultatis in Collegio
GRESHAMENSI Profeſſori,
ET
Societatis REGIÆ Sodali,
Hanc Magni DODWELLI Diſſertationem,
Una cum V. cl. THOMÆ NELI
Dialogo annexo ſubmiſſe offert

THO. HEARNE.

PRÆ-

PRÆFATIO.

PRODIT, Lector erudite, cl. Dodwelli de Parma Equeſtri Woodwardiana Diſſertatio. Eadem eſt hæc Parma Equeſtris cum Clypeo illo eximio quem in Livio noſtro non ita pridem exhibui. Ubi & de ætate ejuſdem paucis diſſerui. Et hæc profecto non longe diſcrepant ab iis quæ de ejuſdem itidem ætate obſervavit Dodwellus. Qui Diſſertationem ſuam ad umbilicum pene perduxerat, quum (proh dolor!) morte nobis eriperetur. In illo tamen à Viro Magno diſſentiendum eſſe puto, quod è Clypeis Votivis hoc vetuſtum Monumentum mihi eſſe videatur. Nec refragantur Antiquarii aliquot egregii, quos hac de re conſuluit præſtantiſſimus Woodwardus, ut è litteris, ad me ſcriptis, exploratum habeo.

Inter

Inter alios, qui de hoc quantivis pretii Monumento ad doctiſſimum Woodwardum Epiſtolas dederunt, jure merito numerari debet illuſtris Cuperus, Vir plane eruditiſſimus, & in re antiquaria verſatiſſimus; quem honoris cauſſa nomino. Cuperi Epiſtolam legit relegitque Dodwellus, ſecum nempe à cl. Woodwardo benigne communicatam. In quibuſdam tamen ab illo diſcedit. Sed modeſte id quidem, & non aliter quam virum pium atque eruditum decet, qualem Dodwellum fuiſſe fatentur omnes.

De Clypeis Votivis hac data occaſione non incommode diſſeri poſſet, multique ſubinde explicari Nummi. Sed quo minus illud à nobis exſpectet lector effecit cl. Sponii diligentia, qui in Miſcellaneis ſuis eruditæ Antiquitatis plura de iis congeſſit. Hoc proinde in præſenti tantummodo noto, Clypeum hunc de Vindice, ſive Curatrice, ultimi Teſtamenti D^ni^. Conyers, Londinenſis, rerum antiquarum indagatoris indefeſſi, (qui quidem è fabri

è fabri ferrarii officina sibi comparaverat) emisse Woodwardum; id quod è litteris ejus colligo: unde porro liquet ferrea materia, auro obducta, constare, esseque pondo unciarum 41. diametri pollicum 14. cum dimidio. Ansam quinetiam in parte interiore jam olim habuisse, quæ non alia est à retinaculo quod memorat Dodwellus, pag. 56.

De vita Dodwelli non est quod hîc loci agam. Nam de ea lingua vernacula tractavi in Epistola quadam de Antiquitatibus inter Windlesoram & Oxoniam repertis. Hanc juris publici feci in quinto Volumine Joannis Lelandi Antiquarii Itinerarii, è Codicibus MSS. à nobis eruti. Catalogum tamen Operum Dodwelli editorum, illic omissum, huic Dissertationi præmittendum curavi; addito insuper ad finem Auctorum quos in isto opusculo emendavit, illustravit, notavitque Indiculo. In capitibus, quæ secutura erant, de Urbis Romæ ædificiis, aliisque id genus, disputare decreverat

creverat Vir Optimus. Quem in finem libros nonnullos rariores & melioris notæ (in proprio Muséo desideratos) è Bibliothecis paullo instructioribus exspectabat. Ceterum quod innuat hoc in Clypeo non conspici Capitolium, illud plane aliter se habet. Ejus etenim satis manifesta indicia apparent in superiori Tabulæ parte. Sed hujusmodi errores vix quisquam evitare potest.

Huic denique Dissertationi subnexui Thomæ Neli, Viri clarissimi, Dialogum inter Reginam Elizabetham & Robertum Dudleium, Academiæ Oxoniensis Cancellarium. Laudavi nuper in nono Volumine Lelandi Itinerarii. Agit nimirum de Collegiis, & Scholis Publicis, atque Aulis hujus Academiæ celeberrimæ. Exemplar, quod secutus sum, exstat in Archivis Bibliothecæ Bodlejanæ. Illud ipsum esse existimo quod Serenissimæ Reginæ donavit Auctor. Non tantum Collegia, sed & Scholas Publicas, ibi à Viro Cl. Joanne

Berbloko,

Berbloko, harum rerum ſatis perito [a], delineata habemus; quæ omnia hîc etiam fideliter exſculpſit Chalcographus. Atque eo gratius fore hoc opuſculum ſpes eſt, quòd exinde haud difficulter ediſci poſſit aliam fere eſſe Academiam, novis in dies, longe elegantioribus pariter atque magnificentioribus, exſtructis fabricis, ab ea quam deſcripſerit Nelus.

E Bibl. Bodl.

Jan. 9. 17$\frac{12}{13}$.

[a] Sic Nelus ipſe, pag. 141. Vide quoque Athen. Oxon. Vol. I. col. 723.

De

DE HENRICO DODWELLO TESTIMONIA paucula,

Ex innumeris fere quæ coacervari poſſent.

E doctiſſimi Felli, Præſulis Oxonienſis Sanctiſſimi, Præfatione ad Editionem ſuam Operum S. Cypriani, Oxon. MDCLXXXII. fol.

A nobis præterita, opportune ſupplebit eruditiſſimis ſuis obſervationibus Cyprianicis, propediem edendis; Vir optimus, ad pietatis juxta & rei literariæ profectum natus, Henricus Dodwellus.

E cl. Hodii Diſſertatione contra Hiſtoriam Ariſteæ de LXX. *Interpretibus, Oxon.* MDCLXXXIV. 8vo. *p.* 45.

Si quiſquam ſit cui placeat hæc in margine à Lectore ſciolo annotata fuiſſe, & inde in textum irrepſiſſe (quod fieri potuiſſe me amice admonuit Henricus Dodwellus, Vir piiſſimus, eruditione ſecundus nulli, humilitate mortalium omnium facile primus, quem honoris cauſſa nomino) illi in hoc accedam, ſi modo vel unus manuſcriptus Epiphanii Codex, qui careat particula iſta, productus fuerit.

E viri doctiſſ. Jo. G. Grævii Epiſtola ad V. cl. Ed. Bernardum, prid. Kal. Maii MDCLXXXVI. *inter Codd. MSS. Smithianos penes me,* N. XXXVI. *p.* 67.

Nec opina mihi per Schmidium Dantiſcanum, Theologiæ ſtudioſum, ex Germania per noſtram urbem ad vos proficiſcentem occaſio tibi gratias agendi pro eximia cl. Dodwelli lucubratione, quam mihi dono miſiſti. Nec poteras ſane gratius mittere. Nam Dodwellum magni facio, à quo legi ejus in Cyprianum exercitationes. Nec dubito quin hic liber ſit ejus famæ & ingenio præclaro reſponſurus.

Ex alia Grævii Ep. ad Bernardum prid. Kal. Jul. MDCLXXXV. *Ibid. p.* 71.

Dodwelli ingenium & eruditionem magni facio.

E litteris prædicti viri doctissimi E. Bernardi ad Amicum quendam singularem, inter Codd. Smithianos penes me, N. LXI. *p.* 193, 195.

Our good and deprived Freind Mr. Dodwell, (whom God reward for his excellent Lectures here) hath receiv'd a Certificate from the Vice-Chancellor that he was dismist from his Lecture for not taking the Oaths.

Ex optimæ notæ libro (sed perraro) qui inscribitur, Some Discourses upon Dr. Burnet and Dr. Tillotson; occasioned by the late Funeral Sermon of the former upon the later. *Lond.* MDCXCV. 4to. p. 53. [*Exstat in Bibl. Bodl.* 4to. *T.* 18. *Jur.*]

——— But to return again to Dr. Whitchot's Funeral Sermon; there is another Passage in it, which all the Men I ever spoke with, that heard or read it, took for a Reflection upon the Church of England, in the following Words: *He disclaimed Popery, and, as Things of near affinity with it, superstition and usurpation upon the Consciences of Men.* I know one Clergy-man who had a fair Respect for him before, that from this time would never defend his Reputation; And the most learned Mr. Dodwell, who indeed is a great Example of Heroick Piety and Virtue, was much offended with this Passage, and went on purpose to him to let him know what just Offence he had given by it; but notwithstanding he printed it again in his Third Volume of Sermons, with the Reflection in the Italick Character; which further proves what I said before, that how tender soever he was to the Dissenters, and extensive in his Charity to them, he had not such tenderness for true Church-men, nor such a Loathness to offend these as those.

Ex

Ex recensione nostra Joannis Lelandi Itinerarii, p. 190.

E lapide, humi jacente, in Presbyterio Ecclesiæ de Shottesbrooke in agro Bercheriensi.

Here lieth
the Learned and Pious
HENRY DODWELL M. A.
Sometime Fellow
of *Trinity* Colledge near *Dublin*,
Cambden Professor of History in *Oxon*.
Born at *Dublin Oct.* MDCXLI.
Dyed at *Shottesbrooke*
The VII. of *June* MDCCXI.
Anno Æt. LXX°.

Hæc Anglice, Modestiæ atque Humilitati Dodwelli apprime congrua. Nec minus consona Opinioni quam de eo omnes ubique conceperant. Epitaphium tamen Latinum postulabant nonnulli. Hinc ea quæ sequuntur scripserunt quidam ex intimis ejus, viz.

Memoriæ S.
HENRICI DODWELLI, A. M.
Collegii SS. & Individuæ TRINITATIS
Prope DUBLINIAM quondam Socii,
Deinde in Academia OXONIENSI
Historices Prælectoris CAMDENIANI:
Viri (si quis alius) pii, sancti, modesti,
Integri, docti.
Plura si velis, libros, quos reliquit, immortales consule:
In quibus Ecclesiæ & Regiæ Majestatis,
Contra Pontificios, Fanaticos, ac Perduelles,
Jura strenue asseruit,
Miraque Ingenii Judiciique subtilitate
Antiquitatis & rei Chronologicæ nodos
Difficillimos expediit.
Ob. *Jun.* 7. A. D. 1711. Æt. 70.
Conjugi optimo ANNA DODWELLA
M. P.

Quum vero alii, ingenio & eruditione pollentes, hanc Inſcriptionem paullo breviorem eſſe judicarent, pro arbitrio permutarunt, novamque ſubſtituerunt; quam proinde è pariete Septentrionali prædicti Presbyterii in gratiam lectoris hîc loci etiam ſubjungere viſum eſt.

Accede Hoſpes, quicunque Literarum Studia
Vel Humanarum vel Divinarum ſapis:
Diſce marmor hoc quem ſignet virum.
Hîc Ille ſua condi oſſa voluit,
Cui inter vivos fruſtra quæſiveris parem,
HENRICUS DODWELLUS:
In quo conjuncta erant
Cum memoria rerum prope infinita,
Et Inventionis Fœcunditas,
Et judicii Acumen;
Cum mirifico quodam Pudore,
Animi Firmitas inconcuſſa;
Cum aliqua in diſputando vehementia,
Candor eximius.
Quod, difficillimis in re Chronologica nodis
Feliciter expeditis,
Novam Antiquæ Hiſtoriæ Lucem affuderit,
Eam Illi Laudem ultro omnes
Quaſi Suam & Propriam tribuunt.
Sed & Hanc etiam cum paucis communem habuit,
Quod toties in Arena Critica
Sine Faſtu & Maledicentia certaverit:
Omnemque, quaqua patet, eruditionis ambitum
Capaci mente comprehenderit,
Iſtius interim,
Quam aucupari ſolent Eruditorum Coryphæi,
Gloriolæ Contemptor.
Ad Majora ſcilicet intentus,
Primævæ in Eccleſia Diſciplinæ Vindex
Audire maluit,
Quam Reipublicæ Literariæ Lumen.
Vetera itaque Patrum Chriſtianorum Monumenta
Indefeſſus perluſtravit;

Et

Et quorum Scripta animo accurate infixerat,
Eorum Severitatem & Sanctimoniam
In vita accuratius expressit.

* E Collegio SS. *Trinitatis*, prope *Dubliniam*,
Doctorum suffragiis accersitus,
Oxonium migravit;
† Ubi Prælectoris *Cambdeniani* Munus,
Multa cum Laude, quoad Potuit, sustinuit.
Inde cum recessisset,
In Ædibus *Shottesbrochianis*,
Amicissimi Viri Hospitio usus,
Inter Libros delituit, consenuit, obiit,
Juris Regii & Episcopalis
Ad Extremum usque Spiritum Propugnator.

Animam Eruditam, Simplicem, Piam
Deo reddidit, *Jun.* 7. A. D. 1711. Æta. 70.
Conjugi Optimo ANNA DODWELLA
M. P.

* *E secessu suo Asaphensi Doctorum* &c. malint alii. Nam Collegio SS. Trinitatis ante annos aliquammultos decesserat valedixeratque, & in *Wallia* degebat quo tempore in Historices Prælectorem *Camdenianum* electus fuit.
† Potius, ut legi voluit Amicus ejus integerrimus, *Ubi Prælectoris* Camdeniani *multa cum laude, quoad salvâ conscientiâ licuit, munus sustinuit.*

Cl. DODWELLI
Opera edita.

I. Prolegomena Apologetica in Joannis Stearnii, M. D. de Obstinatione librum posthumum, à Dodwello (cujus Tutor fuerat Stearnius) in lucem editum Dublinii MDCLXXII. 8vo. In Prolegomenis hisce de usu Dogmatum Philosophicorum, præcipue Stoicorum, in Theologia aliisque agitur. Est liber rarus, utpote cujus trecenta tantummodo exemplaria fuerunt impressa.

II. *Two Letters of Advice.* I. *For the Susception of Holy Orders.* II. *For Studies Theological, especially such as are Rational. At the end of the former is inserted, A Catalogue of the Christian Writers and* ge-

genuine Works that are exstant of the first three Centuries. 8vo. Liber hic eximius primum prodiit Dublinii anno MDCLXXII. Deinde bis prodiit Londini una cum Dissertatione annexa (Anglice itidem scripta) de Sanchoniathonis Historia Phœnicia. Cui Dissertationi ansam præbuerunt Epistolæ quædam pereruditæ, inter Auctorem & virum cl. Thomam Smithum Collegii B. Mariæ Magdalenæ Oxon. socium. Harum Epistolarum Autographa penes me habeo.

III. *An Introduction to a Devout Life: containing especially, a prudent Method for Spiritual Closset-Exercises, and Remedies against the Difficulties ordinarily occurring in the Conduct of a pious Life. Fitted for the use of Protestants.* Dublinii MDCLXXIII. 12°. Auctor hujus libri fuit Franciscus Salesius, Episcopus & Princeps Gebennensis. Quum autem novam Anglice editionem (nam Versio Anglicana jam antea prodierat Londini MDCXII. in duodecimo) meditaretur Bibliopola, à Dodwello impetravit ut reviseret, & quæcunque Ecclesiarum Reformatarum Doctrinis sibi minus congrua viderentur resecaret. Id quod non invitus præstitit Dodwellus, Præfationeque, satis prolixa, sed pia plane & erudita ornavit. Hujus Editionis (longe quidem illa præstantioris quam Nicholsio debemus) exemplaria sunt perquam rara.

IV. *Some Considerations of present Concernment, how far the Romanists may be trusted by Princes of another Perswasion; Relating to the Design of the Controversial Letters, and some other Discourses lately published by that Party of them, who have concerned themselves in this Subject.* Lond. MDCLXXV. 8vo.

V. *Two short Discourses against the Romanists.* 1. *An Account of the Fundamental Principle of Popery, and of the Insufficiency of the Proofs which they have for it.* 2. *An Answer to six Queries proposed to a Gentlewoman of the Church of England, by an Emissary of the Church of Rome.* Lond. MDCLXXVI. 12°. Prodiit iterum Londini anno MDCLXXXVIII. (in 4to.) una cum Præfatione nova, quæ sic inscribitur: *A Preface, with*

with particular Regard to the Bishop of Meaux's design in explaining the Doctrine of the Romish Church, and complaining of Misrepresentations.

VI. *Separation of Churches from Episcopal Government, as practised by the present Non-Conformists, proved Schismatical from such Principles as are least controverted, and do withal most popularly explain the Sinfulness and Mischief of Schism. In this Treatise the Sin against the Holy Ghost, the Sin unto Death, and other difficult Scriptures are occasionally discoursed of, and some usefull Rules are given for Explication of Scripture.* Lond. MDCLXXIX. 4to. Ut opus hoc præstantissimum in epitomen redigeret auctor sæpissime monuerunt & hortati sunt Amici aliquot doctissimi; sed quo minus id efficeret alia, quibus districtus fuit, obstiterunt negotia. Partem tamen secundam, Historicam nempe, lingua Latina pertexebat. Hanc non semel mihi videre contigit. Quum tamen multa hinc inde desiderentur, imperfectamque reliquerit Auctor, eam luce indignam esse censent Amici.

VII. *A Reply to Mr. Baxter's pretended Confutation of a Book entituled,* Separation of Churches from Episcopal Government, &c. proved Schismatical. *To which are added, Three Letters written to him in the Year 1673. concerning the Possibility of Discipline under a Diocesan Government, (which though relating to the Subject of most of his late Books, have never yet been answered.)* Lond. MDCLXXXI. 8vo.

VIII. Dissertationes Cyprianicæ. Oxon. è Theatro Sheldoniano MDCLXXXII. 8vo. Opus hoc concinnavit Vir doctissimus rogatu & hortatu sanctissimi eruditissimique viri Joannis Felli, episcopi Oxoniensis. Præter hanc in 8vo. Editionem in Folio etiam eodem anno prodiit alia, in eorum gratiam qui simul cum Felli Editione Cypriani elegantissima Dissertationes compingi voluerunt. De Paucitate Martyrum agit Dissertatio undecima, quam ut scriberet Dodwellus monuit vir cl. Guilielmus LLoydius tunc Asaphensis, deinde Lichfeldensis & Coventriensis, nunc vero Vigorniensis episcopus.

copus. Dodwellum ob hanc Dissertationem criminati sunt, immo conviciis lacerarunt non tantum Pontificii, sed multi etiam ex Reformatis. Plures ad eandem Responsiones exstant; quarum illa præstantissima pariter atque accuratissima esse censetur quam eruditissimus Ruinhartus evulgavit in Præfatione sua ad Acta Martyrum. Hæc item Præfatio exstat ad calcem cl. Bauldrii Editionis Lactantii de mortibus Persecutorum, Trajecti ad Rhen. MDCXCII. Id porro notandum ad finem Dissertationum Cyprianicarum Appendicem accedere præclaram & luculentam, in qua fragmenta quædam vetera comparent orbi literario pergrata, *viz.* (1.) Canon Regum Astronomicus, partim cum MSS. editisque collatus, partim è MSS. nunc primum editus. (2.) Fasti Græci, Theonis forsitan Alexandrini, (ex Archivis tamen Sacerdotum Heliopolitanorum) nunc primum editi, è MS. Saviliano. (3.) Fragmentum Theonis Alexandrini in προχείρους Ptolemæi κανόνας, è MS. Barocciano. (4.) Fasti alii Græci, forte Imperatoris Heraclii, ex Apographo Vossiano. (5.) Fragmentum Imperatoris Heraclii in προχείρους Ptolemæi κανόνας, è MS. eodem Barocciano. (6.) Fasti Latini è MS. Collegii Corporis Christi Oxoniensis.

IX. *A Discourse concerning the one Altar and the one Priesthood insisted on by the Ancients in their Disputes against Schism. Wherein the Ground and Solidity of that way of Reasoning is explained, as also it's applicableness to the Case of our Modern Schismaticks, with particular Regard to some late Treatises of Mr. Richard Baxter. Being a just Account concerning the true Nature and Principles of Schism according to the Ancients.* Lond. MDCLXXXIII. 8vo.

X. Dissertatio de Ripa Striga ad Lactantium de Mortib. Persecutorum, §. XVII. Exstat ad calcem elegantis Editionis Operum Lactantii per cl. Sparkium Oxon. è Th. Sheld. MDCLXXXIV. 8vo. quæ Lactantii Editio nunc est paullo rarior. Habemus quoque in fine cl. Bauldrii Editionis Lactantii de Mortib. Persecut. cujus superius mentionem feci. Vide N. VIII.

XI. De

XI. De Jure Laïcorum Sacerdotali, ex Sententia Tertulliani aliorumque Veterum Differtatio, adverfus Anonymum Differtatorem, *De Cœnæ Adminiftratione, ubi Paftores non funt.* Lond. MDCLXXXV. 8vo. Quem hîc Anonymum vocat Dodwellus, is eft re vera Magnus Grotius, cujus Differtationem præfigendam curavit Dodwellus, hoc adpofito Titulo: *V. Cl. Hugonis Grotii de Cœnæ Adminiftratione ubi Paftores non funt, Item an femper Communicandum per Symbola? Differtatio.* Quin & Petavii atque Clopenburgii Refponfiones ad hunc Grotii libellum edidit. Operi autem huic occafionem præbuit verfio Anglicana Grotii libelli, quam Auctor ejufdem fic infcripfit, *Antidodwelifme; being two curious Tracts formerly written by Hug. Grotius, concerning a Solution of thefe two Queftions, 1. Whether the Euchariſt may be adminiftred in the abfence of, or want of Paftors* &c. Interpretem hunc Calvinianum appellat Dodwellus in Præfatione. Nomen vero non profert. Amicus tamen quidam me docuit illum fuiffe Guilielmum Baxterum, Virum eruditum, & qui fententiam fuam in multis mutaffe perhibetur. Liber ifte Dodwelli eft rariffimus.

XII. Additiones ad V. Cl. Joannis Pearfoni, Ceftrienfis epifcopi, Opera pofthuma Chronologica, &c. ab ipfo Dodwello prelo tradita, ipfiufque cura edita. Lond. MDCLXXXVIII. 4to.

XIII. Differtatio fingularis, de Pontificum Romanorum primæva Succeffione, ufque ad Annales cl. Ceftrienfis Cyprianicos. Quâ fontibus Chronologiæ Pontificiæ purgatis reftitutifque, nova Ceftrienfis Chronologia, partim novis Pontificum notis Hiftoricis illuftratur, partim etiam emendatur. Exftat ad finem Operum antedictorum Pearfoni pofthumorum Chronologicorum.

XIV. Differtationes in Irenæum. Accedit Fragmentum Philippi Sidetæ, hactenus ineditum, de Catechiftarum Alexandrinorum Succeffione, cum Notis. Oxon. è Th. Sheld. MDCLXXXIX. 8vo. Opus hoc, quod hortante optimo Fello fufcepit, continuare decreverat Auctor. Ideoque Differtationes hafce primas Prolegomena tan-

 tummodo

tummodo appellat. In hac autem Continuatione de Hæresibus primævis & Hæreticis dicturus fuit, quo nempe tempore ortus quisque fuerit Hæreticus, quasque captarit dogmatum adeo monstrosorum occasiones. Ceterum quot Partibus, sive Tomis, comprehendenda esset id mihi plane est incompertum. Pauculas quidem ejusdem schedulas absolvit; sed quo minus pergeret impedierunt tempora, quæ sequebantur, iniqua. Nam quum ex illis Viris esset probis, qui fidem, Regi per juramentum datam, violare nefas esse ducerent, plurimis eo nomine contumeliis divexatus, injuriisque multiplicibus affectus fuit, pulsusque, proh dolor! munere professorio, quo in Academia Oxoniensi fruebatur, Camdeniano, & vitam Eremiticam agere coactus, ad alia studia, utilia sane, sed Ecclesiæ non æque profutura, animum adplicuit.

XV. *Concerning the Case of taking the new Oath of Fealty and Allegiance, with a Declaration* &c. — 4to. Ex hoc aureo tractatu liquet in legibus nostris municipalibus non parum versatum fuisse Dodwellum. Novem duntaxat paginas continet, estque paullo rarior. Sed Auctoris nomen præ se non fert.

XVI. Prælectiones Camdenianæ ad initium Vitæ Hadriani à Spartiano scriptæ: Trajani Vitam universam, & Hadriani honores sub Trajano gestos, pro temporis serie, disponentes, &c. Accedunt Diurnorum Urbis è Tabulis Marmoreis Fragmenta, partim hactenus inedita: Cum Notis, in quibus veteris Anni Romani ratio explicatur. Item Tabulæ & Canones ad Supputationes, in veteri Chronologia Romana, necessarii. Oxon. è Th. Sheld. MDCXCII. 8vo. Fragmenta dicta, quæ non alia quam Librorum Pontificum Linteorum reliquias esse censent nonnulli, nos etiam edidimus una cum variis Lectionibus ad calcem Livii nostri.

XVII. *A Vindication of the deprived Bishops, asserting their Spiritual Rights against a Lay-Deprivation, against the Charge of Schism, as managed by the late Editors of an anonymous Baroccian MS. In two parts.* I. *Shewing, that though the instances collected*

in

in the ſaid MS. had been pertinent to the Editors deſign, yet that would not have been ſufficient for obtaining their Cauſe. II. *Shewing, that the inſtances there collected are indeed not pertinent to the Editors deſign for vindicating the Validity of the Deprivation of Spiritual Power by a Lay-Authority. To which is ſubjoined the latter End of the ſaid MS. omitted by the Editors, making againſt them and the Cauſe eſpouſed by them. In Greek and Engliſh.* London, MDCXCII. 4to. Tractatus prædicti Græci Editor præcipuus fuit cl. Hodius. Sed fruſtra. Nam ad rem ſuam nequaquam facere clare oſtendit Dodwellus; cui tamen plures reſponderunt, inter quos & ipſe fuit Hodius. Inde etiam Dodwelli (ſive potius Patrum veterum) opinionem defenderunt multi, eruditione, & judicio, & probitate illuſtres. Vir item quidam mediocris eruditionis pro Dodwello libros duos ſcripſit, quorum unus lucem * adſpexit. Idem nempe ille vir qui Cyrilli Hieroſolymitani Opera Græco-Latine cum tribus noſtris indicibus locupletiſſimis (quos ipſius rogatu confeceramus) è Theatro Sheldoniano edidit, notiſque (minus neceſſariis, hinc inde excerptis) oneravit. Sed non eſt quod hunc morer. Sententiam enim non multo poſt mutabat, & in Dodwellum (Amicum ſuum eximium) acriter invehebatur, eumque contumeliis ſubinde irritabat. Et hæc quidem omnia ut eo facilius ad honores, quos ambiebat, eveheretur.

XVIII. Annales Velleiani, ſeu Vita M. Velleii Paterculi pro temporum ordine diſpoſita. Præmittuntur Editioni Velleii Paterculi quæ è Th. Sheldoniano prodiit (in 8vo.) anno MDCXCIII. Annales hoſce contexuit Au-

* Anno videlicet MDCXCVIII. 4to. Titulus ſic ſe habet: *Remarks on the Occaſional Paper, Numb.* VIII. Eodem anno Reſponſio ad eundem prodiit, itidem in 4to. & hoc modo inſcripta, *Reflexions on a Pamphlet entitled* Remarks on the Occaſional Paper, Numb. VIII. *relating to the Controverſy betwixt Dr. Hody and Mr. Dodwell,* &c. Cl. Hodius Auctor fuiſſe perhibetur. Neſcio quam vere. Id mihi certe compertum eſt, hinc Virum noſtrum mediocriter doctum occaſionem captaſſe alterum illum librum, nondum typis mandatum, conſcribendi, in quo quæcunque aſſeruerat Dodwellus pro virili paullo fuſius defendit. Hoc ſciens dico, quippe qui exſcripſi, ſemelque atque iterum perlegi.

ctor hortatu Viri eximii D. Arthuri Charletti, S.Th. P. Collegii Universitatis apud Oxonienses præfecti, cui non parum debet hæc Velleii Editio, quam ob Annales magni faciunt eruditi. Iterato prodiit Vellejus è Th. Sheld. ante unum alterumque annum; sed sine Annalibus, ideo forsan omissis quod Dodwellus ipse in alio libro imprimendos curavisset, quem paullo inferius memorabo. Vide N. XXII.

XIX. *Invitation to Gentlemen to acquaint themselves with antient History*. Præmittitur Editioni secundæ (quæ prodiit Londini MDCXCIV. in 8vo.) Versionis Anglicæ libelli, à V. Cl. Degoreo Whearo conscripti, de ratione & methodo legendi Historias. Interpres vero fuit Edmundus Bohunus, Armiger.

XX. *A defence of the Vindication of the Deprived Bishops. Wherein the Case of Abiathar is particularly considered, and the Invalidity of Lay-Deprivation is further proved, from the Doctrine received under the Old Testament, continued in the first Ages of Christianity, and from our own Fundamental Laws. In a Reply to Dr. Hody and another Author. To which is annexed, The Doctrine of the Church of England, concerning the Independency of the Clergy on the Lay-Power, as to those Rights of theirs which are purely Spiritual, reconciled with our Oath of Supremacy, and the Lay-Deprivations of the Popish Bishops in the beginning of the Reformation*. Lond. MDCXCV. 4to. Sic quidem in prima pagina. Sed Dissertatio illa (tractatui huic annexa) de Doctrina Ecclesiæ Anglicanæ quoad Cleri à Magistratu Seculari Independentiam, seorsim prodiit, anno nempe MDCXCVII. Nec quidem Defensio ipsa eodem quo & impressa fuit anno, juris publici facta erat. Utramque quippe partem suppresserunt adversarii, utpote qui probe noverant Dodwelli opinionem argumentis validissimis testimoniisque, è primævis Ecclesiæ aliisque optimæ notæ Scriptoribus petitis, fultam esse.

XXI. Chronologia ad Thucydidis Historiam, cum Præmonitione ad Lectorem de eadem. Exstat in Hudsoniana

Thucydidis

Thucydidis editione, Oxon. è Th. Sheld. MDCXCVI. fol.

XXII. Annales Velleiani, Quinctilianei, Statiani. Seu Vitæ P. Velleii Paterculi, M. Fabii Quinctiliani, P. Papinii Statii, (obiterque Juvenalis) pro temporum ordine dispositæ. Cum Appendice Dissertationum duarum Miscellanearum, quarum I. agitur de Julii Cæsaris Vita per Julium Celsum nuper edita à cl. Grævio. II. de editi à cl. Rigaltio Commodiani ætate. Oxon. è Th. Sheld. MDCXCVIII. 8vo. Una cum his etiam edere constituerat Annales Plinii Junioris, quos quidem primos condiderat. Mentionem feci in Præfatione ad Plinium à me editum. Hos tamen apud se premere visum fuit Auctori, quod cultum adhuc majorem exspectarent è coævorum Chronologia. Inter chartas ipsius ineditas non semel vidi, quin & dum in vivis erat mihi perlegendi copiam fecit. Multa non tantum sub finem, verum etiam alibi desiderantur operi absolvendo prorsus necessaria. Nec Auctori, aliis negotiis obruto, recensere & prelo mandare vacavit. nedum cl. Massoni objectiones refellere, & infirmas esse (id quod facillime potuit Dodwellus) demonstrare. Vide N. XVIII.

XXIII. De Tabulis cœlorum Dissertatio. Exstat in Vol. Imo. cl. Grabii Spicilegii Patrum, p. 339. Oxon. è Th. Sheld. MDCXCVIII. 8vo.

XXIV. Tabulæ Chronologicæ pro mente Auctoris XII. Patriarcharum. Exstat ibid. p. 366.

XXV. Dissertationes ad Imum. Volumen Geographorum Græcorum Minorum Hudsonianorum. Oxon. è Th. Sheld. MDCXCVIII. 8vo. Agunt nempe (1.) De ætate Peripli Hannonis. (2.) De ætate Peripli Scylacis. (3.) De ætate scripti Agatharchidis de Rubro Mari. (4.) De ætate & auctore Peripli Maris Erythræi. (5.) De ætate Peripli Maris Euxini. (6.) De Arriani Nearcho. (7.) De Scriptis & ætate Marciani Heracleotæ. (8.) De Periplo Anonymo Euxini Maris. — Dissertationis de ætate Scylacis iteratam editionem habemus in Geographicis antiquis quæ in 4to. Lugd. Bat. MDCC. prodierunt, cura atque opera Jacobi Gronovii,

novii, qui calamum admodum virulentum (pro more ſuo) in Dodwellum Hudſonumque ſtrinxit, quem tamen in ipſius jugulum retorquere (id quod fortiter & dextre fieri poſſet) è re literaria non viſum fuit.

XXVI. *A Treatiſe concerning the Lawfulneſs of Inſtrumental Muſick in Holy Offices, with a Preface by J. Newte.* Lond. MDCC. 8vo. Editio ſecunda, prima longe auctior & emendatior. Hæc tamen mendis etiam aliquammultis inquinatur.

XXVII. Chronologia Xenophontea. Oxon. è Th. Sheld. MDCC. 8vo. ad calcem Xenophontis Hiſt. Græc. à V. Cl. Edwardo Welles edit. V. N. XXXIII.

XXVIII. Chronologia ad Julii Cæſaris Comm. Ea pars tantummodo impreſſa eſt quæ ad librum Imum. de Bello Gallico ſpectat. Nondum tamen divulgata, quoniam Amico noſtro ſummo, Henrico Aldrichio, Viro plane doctiſſimo, & Academiæ Oxonienſis decori, (qui magno reip. literariæ damno nuper obiit) ab Editione Cæſaris, (quam meditabatur) elegantiſſima juxta atque magnificentiſſima, aliis, ni fallor, negotiis diſtento deſiſtere viſum fuit. Cum Aldrichio item Diſſertationem de Julii Cæſaris in Britanniam noſtram exſcenſione communicavit Dodwellus. Sed metuo ne tam Diſſertatio quam Chronologia perierint inter chartas quas ultimo ſuo teſtamento comburendas juſſit Aldrichius. Nec quidem exemplar apud ſe reſervavit Auctor.

XXIX. *A Letter concerning J. T.* [*i. e. John Toland.*] Epiſtola hæc exſtat ad finem ſecundæ Editionis libri eximii, cui Tit. *The Canon of the New Teſtament vindicated; in anſwer to the Objections of J. T. in his Amyntor.* Lond. MDCCI. 8vo. Librum dictum ſcripſit vir pereruditus Joannes Richardſonus S. T. B. Collegii Emanuelis apud Cantab. non ita pridem ſocius.

XXX. De veteribus Græcorum Romanorumque Cyclis, obiterque de Cyclo Judæorum ætate Chriſti, Diſſertationes decem, cum Tabulis neceſſariis. Inſeruntur Tabulis Fragmenta Veterum inedita, ad rem ſpectantia Chronologicam. Opus Hiſtoriæ veteri, tam Græcæ, quam Romanæ, quam & Sacræ quoque neceſſarium. Oxon. è Th. Sheld. MDCCI. 4to.

XXXI.

XXXI. *A Discourse concerning the Obligation to marry within the true Communion, following from their Style of being called a Holy Seed.* Lond. MDCCII. 8vo. Edidit Amicus noster ingenio, eruditione & virtute celeberrimus Carolus Lesleius, qui etiam & ipse de eodem argumento Dissertationem egregiam præfixit.

XXXII. *An Apology for the Philosophical Writings of Cicero.* In hac Apologia Pet. Petiti Animadversiones refutavit. Edidit ad initium Versionis suæ Anglicanæ Ciceronis librorum de finibus Amicus optimus & pereruditus Samuel Parkerus, Londini nempe anno MDCCII. 8vo.

XXXIII. Annales Thucydidei & Xenophontei. Præmittitur Apparatus, cum vitæ Thucydidis Synopsi Chronologica. Oxon. è Th. Sheld. MDCCII. 4to. Annales Xenophontei non alii sunt quam Chronologia Xenophontea, de qua supra. V. N. XXVII.

XXXIV. Dissertationes ad Volumen secundum Geographorum Græcorum Minorum à cl. Hudsono editorum. Oxon. è Th. Sheld. MDCCIII. 8vo. In his autem agitur (1.) De Dicæarcho, ejusque Fragmentis. (2.) De Isidoro Characeno. (3.) De Scymno Chio. (4.) De Auctore libri de Fluviis. (5.) De Agathemero. (6.) De Strabonis Excerptore. Ultimam harum Dissertationum in Strabone suo edidit item Cl. Almeloveenius, ubi quoque Chrestomathias & Cl. Hudsoni Notas in easdem (Auctoris tamen nomine celato) evulgavit.

XXXV. *A Letter concerning the Immortality of the Soul, against Mr. Henry Layton's Hypothesis.* Hanc epistolam edidit dictus Hen. Layton in libro à se juris publici facto (anno videlicet MDCCIII. in 4to.) cui hic titulus, *Arguments and Replies, in a Dispute concerning the Nature of the Humane Soul,* viz. *whether the same be Immaterial, separately subsisting, and intelligent; or be material, unintelligent, and extinguishable at the Death of the Person.*

XXXVI. *A Letter to Dr. Tillotson about Schism.* Edita fuit in 8vo. anno MDCCIII. una cum Reverendi admodum in Christo Patris, Thomæ Kenni Bathoniensis & Wellensis

Wellensis episcopi, Primævæ Pietatis cultoris summi, ut & Juris Regii Assertoris fortissimi, de morte Mariæ P. A. epistola, lectu dignissima, & quæ memoria teneri omnino mereatur.

XXXVII. De nupero Schismate Anglicano Parænesis ad Exteros, tam Reformatos quam etiam Pontificios, qua Jura Episcoporum vetera, eorundemque à Magistratu Seculari Independentia omnibus asserenda commendantur. Lond. MDCCIV. 8vo. Eodem etiam anno Anglice prodiit, opera Thomæ Browne, viri ingeniosi. Hæc versio Dodwello perplacuit.

XXXVIII. Exercitationes duæ: Prima, de ætate Phalaridis; secunda, de ætate Pythagoræ Philosophi. Cum Præfatione in qua hæc quæstio discutitur, *Artemne epistolas scribendi exploratam potuerit habere Phalaris?* Lond. MDCCIV. 8vo.

XXXIX. Chronologia ad Dionysium Halicarnasseum, cum Apparatu ad eandem. Habemus in edit. Dionysii Hal. Hudsoniana Oxon. è Th. Sheld. MDCCIV. fol.

XL. De ætate Dionysii Halicarnass. obiterque de γενεᾶς modo quem adhibet in Chronologia sua Dionysius. Exstat in dicta Dionysii edit.

XLI. *Occasional Communion fundamentally destructive of the Discipline of the Primitive Catholick Church, and contrary to the Doctrine of the latest Scriptures, concerning Church-Communion.* Lond. MDCCV. 8vo.

XLII. *A Case in View consider'd: in a Discourse, proving that [in Case our present invalidly deprived Fathers shall leave all their Sees vacant, either by Death or Resignation] we shall not then be obliged to keep up our Separation from those Bishops, who are as yet involved in the Guilt of the present unhappy Schism.* Lond. MDCCV. 8vo.

XLIII. *An Epistolary Discourse, proving, from the Scriptures and the first Fathers, that the Soul is a Principle naturally mortal; but immortalized actually by the Pleasure of God, to Punishment; or, to Reward, by it's Union with the Divine Baptismal Spirit. Wherein is proved, That none have the Power of giving*

giving this Divine Immortalizing Spirit, since the Apostles, but only the Bishops. Lond. MDCCVI. 8vo. Secunda etiam exstat Editio. Prima mendis scatet, typographorum incuria & oscitantia. In pag. 245. fragmentum habemus è Vettii Valentis Anthologia Græca, hactenus inedita, cujus Codex præstantissimus in Bibliotheca Bodlejana adservatur. Plures ad hunc librum prodierunt Responsiones, sed (dempta una & altera) contumeliis (quibus semper abstinuit Dodwellus) plenissimæ, ideoque Christianis auribus minus dignæ.

XLIV. *That Sacerdotal Absolution is necessary for the Remission of Sins, even of those who are truly penitent.* Exstat in Dissertatione Epistolari prædicta, ad finem nempe Præmonitionis ad Lectorem.

XLV. *A Preliminary Defence of the Epistolary Discourse, concerning the Distinction between Soul and Spirit. In two Parts.* I. *Against the Charge of favouring Impiety.* II. *Against the Charge of favouring Heresie. In the former is inserted a Digression, proving, that the Collection of the Code of the four Gospels in Trajan's Time is no way derogatory to the sufficient Attestation of them.* Lond. MDCCVII. 8vo.

XLVI. *A further Prospect of the Case in View, in Answer to some new Objections not there considered.* Lond. MDCCVII. 8vo.

XLVII. *The Scripture Account of the Eternal Rewards or Punishments of all that hear of the Gospel, without an Immortality necessarily resulting from the Nature of the Souls themselves that are concerned in those Rewards or Punishments. Shewing particularly,* I. *How much of this Account was discovered by the best Philosophers.* II. *How far the Accounts of those Philosophers were corrected, and improved, by the Hellenistical Jews assisted by the Revelations of the Old Testament.* III. *How far the Discoveries forementioned were improved by the Revelations of the Gospel. Wherein the Testimonies also of S. Irenæus and Tertullian are occasionally considered.* Lond. MDCCVIII. 8vo.

XLVIII. Dissertatio ad fragmentum quoddam T. Livii è

d MS,

MS. Laudino erutum. Exstat in Vol. sexto Livii nostri, Oxon. è Th. Sheld. MDCCVIII. 8vo.

XLIX. *An Explication of a famous Passage in the Dialogue of S. Justin Martyr with Tryphon, concerning the Immortality of Humane Souls. Being a Letter to the learned Author of a Book intituled,* Ἡ χάρις δοθεῖσα &c. *With an Appendix, consisting of a Letter to the Reverend Mr. John Norris of Bemerton; and an Expostulation, relating to the late Insults of Mr. Clark and Mr. Chishull.* Lond. MDCCVIII. 8vo. Expostulationem plurimum collaudarunt Dodwelli inimici, etiam atrocissimi.

L. *A Discourse concerning the Use of Incense in Divine Offices. Wherein it is proved, That that Practise, taken up in the middle Ages, both by the Eastern and Western Churches, is, notwithstanding, an Innovation from the Doctrine of the first and purest Churches, and the Traditions derived from the Apostles. Serving also to evince, That even the consent of those Churches of the middle Ages, is no certain Argument, that even the Particulars, wherein they are supposed to consent, were faithfully derived from the Apostles, against the modern Asserters of the Infallibility of oral Tradition. In a Letter to a Friend.* Lond. MDCCXI. 8vo.

LI. *The Case in View, now in Fact. Proving, That the continuance of a Separate Communion, without Substitutes in any of the late Invalidly-deprived Sees, since the Death of William late Lord Bishop of Norwich, is Schismatical. With an Appendix, proving, That our late Invalidly-deprived Fathers had no right to substitute Successors, who might legitimate the Separation, after that the Schism had been concluded by the Decease of the last Surviver of those same Fathers.* Lond. 1711. 8vo. Scatet mendis, utpote qui ex inerudito prelo prodiit.

LII. In Julii Vitalis Epitaphium Notæ Criticæ, cum ejusdem Explicatione. Edidit cl. Musgravius in Commentario suo ad dictum Epitaphium, Iscæ Dunmoniorum

(id

(id est, Exoniæ) MDCCXI. 8vo. Lapis, qui Epitaphium continet, prope Bathoniam fuit repertus. Inſcriptionem communicavi cum Dodwello. Mecum autem doctiſſimus Halleius. Quin & ego Diſſertationem in idem Antiquitatis monumentum evulgavi ad finem vitæ Ælfredi Magni à Domino Joanne Spelmanno jam olim lingua Anglicana conſcriptæ, & à me ex Autographo primum fideliter erutæ, A. D. MDCCIX. 8vo. è Theatro nempe Sheld.

LIII. Ad clariſſ. Goëtzium, de Puteolana & Bajana Inſcriptionibus, Epiſtola. Hanc etiam edidit in eodem opere cl. Muſgravius. Utramque Inſcriptionem cum Dodwello communicaverat eruditiſſimus Cherrius, qui à Goëtzio acceperat. Secundam quoque Inſcriptionem egomet juris publici feci in Præfatione ad Lelandi Itinerarii Volumen Sextum. Accuratius nempe quam ediderat Muſgravius. Exſcripſi vero ex ipſo Goëtzii Apographo, cujus copiam mihi fecit cl. Cherrius. Verba item explicui, in quibus maxime hæſitabat Dodwellus.

LIV. *A Letter concerning Mr. Whiſton's Heretical Opinions.* Furtim prodiit, poſt mortem Auctoris, una cum libello quodam (ab alio ſcripto) de eodem argumento.

LV. De ætate & Patria Dionyſii Periegetæ. Exſtat in quarto Volumine Geographorum Hudſonianorum; Oxon. è Th. Sheld. MDCCXII. 8vo.

LVI. *A Letter to the Right Reverend the Biſhop of Sarum, in which Mr. Dodwell owns his Spiritual Character, but not his Temporal.* Lond. MDCCXII. 8vo. Neſcio quiſnam ediderit. Non dubito tamen quin fuerit hoſtis. Editionem, longe emendatiorem, una cum aliis duabus Epiſtolis inter epiſcopum Sarisburienſem & cl. Dodwellum, ab Amico pererudito exſpectamus.

LVII. De Parma Equeſtri Woodwardiana Diſſertatio. Oxon. è Th. Sheld. MDCCXIII. 8vo.

Nota de Vexillis.

Ne pagella hæcce vacaret, visum est annotare viros aliquot eruditos è forma vexillorum clypeum nostrum paullo recentiorem esse colligere. Sed non adeo recte. Examussim enim conveniunt cum vexillorum descriptione quam reliquerunt Vegetius aliique. E flammeis nempe sunt, quæ quidem non alia quam *flammulæ*, sive *flamulæ*, vel, ut alii habent Vegetii Codices, *flammilæ*. Stewechius tamen *flammeola* reponit. At contra fidem Codd. MSS. quos ob oculos habuit. Non vero contra fidem Codicis cujusdam in Bibl. Bodl. NE. E. 3. 2. chartacei quidem ac recentis; non tamen ideo contemnendi. Ceterum de lectione videant doctiores. Quomodocunque se habet, vexilla nostra linea plane omnium sunt antiquissima, iisque proinde similia quæ ea ætate in usu fuerunt qua Romam cepit incenditque Brennus. Nec alia sane in nummo Antonini Pii, qui ad Britanniam nostram spectat. Exstat in Archivis Bodlejanis. Quid si ergo *vela* κατ' συγκοπὴν etiam appellemus? Non aliter sane Cicero, & è Cicerone Julius Scaliger; ut alios missos faciam. Veli autem (quod & nonnunquam pro orario sive flammeo accipiendum jam olim notaverat vetus Juvenalis Interpres) significatio notior est quam ut explicatione nostra egeat. *Vexilla* lingua vernacula **Pennons** vocamus. Quam etiam vocem adhibuit Vegetii vetus interpres, cujus eximium exemplar inter Codices Digbæanos adservatur. Nec absurde interpres. Firmat quippe ipsa vocis etymologia, quam adduxit Skinnerus. Qui plura velint, consulant Lipsium de re militari.

Henrici

Henrici Dodwelli

DE

PARMA EQUESTRI WOODWARDIANA

DISSERTATIO.

ARGUMENTUM.

A*Ntiqui*, potius quam *Nuperi*, poſt *Artes* denuo reſtauratas, *Artificis* hoc Opificium fuiſſe, veriſimillimum eſt. §. 1. Vixit hujus monumenti *Artifex* poſtea quam *Romanorum* Diſciplinæ *Militari* aſſaeviſſent *Galli Ciſ-Alpini*, in Civitatem recepti *Romanam*, & in *Legionariorum*, non *Sociorum*, numeros exinde conſcripti. §. 2. Et tamen ante Seculum *Trajani*, ut ex *hujus* Clypei *vexillis* colligimus *Equeſtribus*. §. 3. Nondum, vel *Auguſto* Imperante, *Animalium* motus ad *vivum* repræſentare poterant *Romani Statuarii*, ut in hoc videmus factum *Clypeo*. §. 4. *Nerone* demum Imperante, primo contigit, ut *par* fuerit *Græcis veteribus*, in Arte *excuſoria*, *Romæ* Artifex *Zenodorus*. Poſtea *defecit*. Hoc ergo tempore vixiſſe veriſimillimum eſt *Clypei* Opificem. §. 5. Unde tantam huic *Clypeo* firmitatem in *temporis* injurias conciliarit *antiquus* Artifex, præ aliis *recentiorum* temporum *ferramentis*. Quid ῥομφαία δίστομος. §. 6. *Brevior* hæc *Clypei*, & quidem *rotundi*, forma, *Parma* potius appellanda eſt, & quidem *Equeſtris*. §. 7. *Clypei* apud *Romanos*, ne quidem *Polybii* ætate, *Metallici*. §. 8. Hæc *Parma* ejuſdem *generis* eſt cum illa, quæ apud *juniores*, *Buculæ*, vel *Bucculæ*, nomine frequentius veniebat. §. 9. Ne quidem *Cæſaris* ætate, *Clypei* erant è *Metallo integri*, ſed *umbone* tantummodo, *ferreo*. §. 10. Ars ornandi *Bucculas Auro* & *Argento* antiquior erat Prætoriano *Barbaricariorum* Collegio. §. 11. *Caſſides Metallicæ Auro Argentoque* excultæ à temporibus *Julii Cæſaris* in Militia *Equeſtri* receptæ; & *Bucculæ* quæ illis reſponderint, proinde, ut videtur, *Metallicæ*, ante *Juvenalem*. In *Militia* autem *Pedeſtri Galeæ* non *Metallicæ*, uſque ad Imperium *Gratiani*, apud *Romanos*. §. 12. *Barbaricariorum*, qui *Armorum cultui* vacabant, origo. *Initium* fortaſſe ſub *Conſtantio*. §. 13. *Equites Romani gregarii* omnes, ut hîc repræſentantur, *imberbes*, præ *ætate*. §. 14. Sunt & in *Parma* Equites *Barbati*. Quorum è numero primus ipſe eſt *Camillus* Dictator cum *Dictatoriæ Majeſtatis* inſignibus.

Satelles

Satelles illius eſt, non autem *Sulpitius Tribunus Conſularis*, qui *pedes*, Caſſide tamen *armatus*, minantique ſimilis, *Dictatoris* mandata *Brenno* refert. §. 15. *Camilli* Majeſtatem expreſſit Artifex, tam in *Satellite*, qui cum *Brenno* egit, quam in *Ephippiis*. §. 16. *Caudæ Equinæ integræ* criſta non eſt *inſigne Magiſtri Equitum* in *Equite Romano Barbato*. *Jubæ Equinæ triplices* in criſta *Camilli*. §. 17. *Criſtæ*, in *Caſſidum fronte*, φάλοι· in *occipite*, λόφοι. §. 18. *Criſtæ pennariæ*, in *Parma*, quas exhibet *Lipſius*, nullæ. Nullæ item, quales apud *Lipſium*, *Animalium*, Parmæ, ut videtur, *ætate* recentiorum. §. 19. *Gladius Romanorum*, ſub *Nerone*, *Equitum longior*, à *Joſepho* deſcriptus, cum *Parma* convenit, ſi cum *Pedeſtri* Gladio in *lance* poſito conferatur, ad *cominus punctimque* cum hoſte confligendum, propter ipſam ejus *brevitatem*, maxime idoneo. §.20. *Pedeſtris* ille *Romanorum Gladius* eſt ῥομφαία δίςομος ὀξεῖα à *Sacris Scriptoribus* propter *penetrationem* laudata. §. 21. *Contus Joſephi haſtæ* hujus *Parmæ* reſpondet *Equeſtri*, quæ *haſta* erat omnium *antiquiſſima*. §. 22. *Parmæ loris* Equitum *brachiis* aptari ſolitæ, Equitum autem *fugientium* in *terga* tranſlatæ. §. 23. Multa *Equitum Romanorum* arma ab Artifice conſulto omiſſa, utpote in *alio* Equorum *latere* latentia, vel inter pugnandum *abſumpta*, vel *amiſſa*. §. 24. *Caſſides*, hoc *Parmæ* Seculo, Militiæ tam *Pedeſtri*, quam *Equeſtri*, communes. *Thoraces* utrique *lintei*, qui *Romanis Loricæ* appellabantur. §. 25. Etiam *Cataphractæ* erant *linteæ*, à *Romanis* tamen *Loricis* diverſæ. Nec *hami* in hac *Parma*, nec *ſquamæ*, pro *Corbulonis* fortaſſe Diſciplina, prætermiſſæ. Fieri tamen poteſt ut, una cum *ornatu* Parmæ *aureo*, diſparuerint. §. 26. *Frenorum* in *Equeſtribus* prœliis *detrahendorum* uſus apud *Romanos antiquus*. Non tamen pro exemplo *Numidarum*. §. 27. Non tamen fuit, apud *Romanos*, *perpetuus*. §. 28. *Senex* ille *Barbatus inermis*, qui aciem *Romanam*, ſpatio interpoſito, ſequitur, *Romanorum Fecialis* fuiſſe videtur. *Duo* autem illi, ſimili fere habitu, pone *Brennum*, *Patres* erant, fortaſſis *Gallorum* alter, alter *Romanorum*, *Patrati*. §. 29. *Nuda* pene ad *humeros Equitum brachia Antiquitatis* Argumenta ſunt. §. 30. *Colobia Monachorum* à *Militarium Colobiorum* (eo,

quo

quo *Monachi* cœperunt, *Seculo*) exemplo *non* emanarunt. §. 31. *Saguli*, seu *Sagi proprie* ita dicti, nomen ad *femoris* tegumentum spectabat, in quo locus erat *Gladii* hoc *Seculo* Artifici à *nobis* assignato. §. 32. *Loricæ*, non *Pallio*, subjecta sunt horum temporum *Sagula*. Sic tamen ut *Saguli* nomen *Superhumerali* etiam *Sago* attributum fuerit. §. 33. Horum temporum *Loricæ* ultra *imum ventrem* non pertingebant. Non ad *femora*, quibus accingebantur *Gladii*. *Aliæ* tamen à *Persarum Mandyis Loricæ*. §. 34. *Sagi* forma in *Parma* expressa, *Zona* infra *Sagum* cum *Gladio* latitante, earum omnium, quæ *Loricis* subnectebantur, *simplicissima* est, ideoque, ut videtur, *antiquissima*. §. 35. Alia ad eandem *Antiquitatem* asserendam Argumenta. §. 36. *Caligatorum* nomen Militibus *infimi* ordinis, propria quadam *consuetudine*, attribui solebat. Non tamen propterea negandum, quin *aliis* quoque Militibus fuerint, pro sua cujusque *dignitate*, *Caligæ*. §. 37. Cur *Caligatorum* nomine Milites *infimi* intelligerentur, caussa fuisse videtur, quod *nova* interim nomina *Nobiliorum Caligis* attribuerentur, *Gallicarum*, *Solearum*, *Crepidarum*. §. 38. *Caligæ forma*, quæ in *Parmæ Equitibus* conspicitur, ad *antiquissimam Caligæ Nobiliorum formam* proxime accedit. Antiquior etiam *Campagis*. §. 39. *Caligarum* earundem *nomina* sæpe invicem permista. *Morosa* tamen erat *Caliga* quæ *Caligatis Militibus* nomen dedit *Caligatorum*, *Equitibus* prorsus *incongrua*, qui tamen *soli* in hac visuntur *Parma*. *Caligæ antiquissimæ notæ omnes* huic certe *Caligæ* conveniunt. §. 40. *Capitolium* inter Ædificia, quæ in Parma repræsentantur, (ni forsan id quod in Summitate) non conspicitur. Substructio Lapidea non evincit. Majestas *Romæ* post tempora *Augusti*. Illius *Insulæ* & *Domus*. §. 41. Nullum Argumentum ex Ædificiorum *Altitudine* deduci potest. Verba *Plinii*, *Virgilii*, *Horatii*, &c. ac *Claudiani*, quæ illustrantur Exemplo *Annibalis* se cum *Scipione* conferentis. §. 42. Capitolii à *Tibere* Distantia . . . .



Ornatiſsimo Doctiſsimoq; Viro JOANNI WOODWARDO, *Medicinæ Doctori, ejuſdem Facultatis in Collegio Greſhamenſi Profeſsori, & Societatis Regalis Socio, Ectypum iſtud Clypei antiqui in Muſeo ejus conſervati, obſervantiæ et grati animi ergo, dicat conſecratque* THO. HEARNE.

M Burghers ſculp.

DE PARMA EQUESTRI WOODWARDIANA DISSERTATIO.

HUJUS tam insignis monumenti *Historiam* altius repetere utinam Clarissimo Possessori licuisset, ut intelligeremus ubinam ad nostra usque tempora latuerit. Tantum vero abest ut *Roma* arcessi potuerit, ut ne quidem unquamne in *Italia* fuerit, aut extra nostræ *Britanniæ* angustias, compertum habeamus. Ita factum ut locum *natalem*, *ætatemque*, quibus floruerit *Artifex* memoria dignissimus, similiter ignoremus. Contra, ne quidem *vestigia* vel evanida tenemus, quæ præbeant vel *conjecturis* ansam, qualia ex *Inventionis Historia* sperare Eruditis in proclivi erat. In officina *Fabri Ferrarii* reperit Doctissimus *Woodwardus*, materiæ potius *Ferrariæ*, quam *Artificii*, habita ratione, alicunde erutum, è nescio cujus, seu *Publici*, seu *Privati*, hominis *cimeliis*. E *Publicis* autem emanasse verisimilius est, si qua fides *Traditioni*, cui *Publica* etiam monumenta adstipulari dicuntur, *ambulacrum* fuisse in *Aula Regia*, quæ *Alba* appellatur, cui nomen, à *Clypeis* ibi reconditis, fuerit *Clypeati*. Et quidem usque ad tempora *Caroli* I. ambulacrum eo nomine perstitisse fama est. *Antiquioris* tamen fuisse, quam sit illa *Martyris* Epocha, Originis. Copiam enim *Clypeorum*, qua ambulacrum illud fuerit instructum, ab *Henrico* VIII°. collectam. Ita nempe factum ut in *privatorum* hominum possessionem venerit insignis ille Clypeus, *Parliamentariis* supellectilem *Regiam*, pro arbitratu suo, distrahentibus. Hæc me

1\. *Antiqui* potius, quam *Nuperi*, post *Artes* denuo restauratas, *Artificis*, hoc Opificium fuisse verisimillimum est.

docuit

docuit Cl. *Hearnius*, qui *Livio* ſuo hoc monumentum adjunxit; forma tamen, quam in ipſo ſit *Archetypo*, paullo *contractiori*. Sed ne *Britannicæ* credatur originis, obſtat ipſa Operis *elegantia*. Longe certe major quam quæ *Britannicis* Artificibus conveniebat quum à *Romanis* Inſula noſtra *deſtitueretur*. Hæc ergo *elegantia* vel *antiquiorum* fuerit oportet temporum, quibus *Artes* ad ſummum *enitebantur*; vel *recentiorum*, quibus penitus collapſæ *Barbarorum* incurſionibus, denuo *reviviſcere* cœperunt, & quaſi à poſtliminio *naſci*. Ideone *juniorum* inventis potius aſſignandum arbitrabimur? Novos certe *magnoſque* Artes elegantiores in *Italia*, Patronorum opera, fecere *progreſſus*. Eſtque apud *Italos*, etiam *juniores*, celebris *Camillorum* familia, quæ gloriam *veteris Camilli* ad ſe transferre potuit. Nec enim apud *Italos* rarum eſt ut & *veterum Romanorum* nomina affectent, eoque id conſilio faciant, ut *rerum* à veteribus geſtarum, hoc ipſo artificio, in tanta ſtirpium hodiernarum, per tot *Barbarorum* matrimonia, confuſione, *gloriam* aliquatenus vendicare videantur. Obſtat tamen quo minus Artificibus *nuperis*, quantumvis *peritis*, attribui poſſit hoc elaboratum, quod videmus, artificium, ipſa Operis *vetuſtas*. Bis enim Antiquitate corrupti refarcitique in eodem veſtigia habemus. Et quidem eadem, qua & olim, *materia* conſtabat, *Ferraria*, pro *mediorum* Seculorum captu, proculdubio *firmiſſima*, quæ tamen etiam ipſa ferrugine vitiata eſt. Et alia omnino hîc habetur *Equeſtris armatura* ab ea quæ apud *medios junioreſque* recepta eſt. Nullæ hîc apparent à junioribus inventæ *ſtapiæ* quibus facilis erat in equos aſcenſio, & *pedes*, dum impreſſionem in hoſtem facerent, firmiſſime retinerentur, & *vis* haſtis addita in hoſtem è ſede *fixa* protenſis. Et ne quidem *Clypei Equeſtris* forma eadem eſt cum ea quæ Inſignibus ornari ſolet *Heraldicis*, *Scuto* re vera, quam *Clypeo*, vicinior, & *Scuti* proinde etiam nomine apud mediæ infimæque *Latinitatis* Auctores paſſim veniens. Sed nec *Imagines* exhibet cum recentiorum *imaginibus* affines. *Vultus* præterea *galearum* inermes hîc conſpicimus. *Contra* plane quam in *juniorum* galeis videmus,

videmus, quarum etiam vultus *Visoriis* armabant recentiores, ipsis quoque, pro *cassidum* more, qui tum demum passim obtinebat, *ferreis*. *Theatrorum* porro, quæ hîc apparent, vestigia ad *Romæ* nondum *Christianæ* Epocham referenda sunt. Non me quidem fugit *Romanorum* civium partem, etiam post tempora *Constantini Magni*, avitæ Superstitioni fuisse addictam. Inde *Ethnicos* honores in *Christianorum* Imperatorum *nummis* legimus. Inde *officia Romanæ Urbis* summa *Ethnicis* professionem suam minime dissimulantibus collata, ut è *Symmacho* constat & *Rutilio Numatiano*. Tanta autem erat fiducia *Symmachi* ut Epistolam *Christianis* Principibus obtulerit de *Ara Victoriæ* restauranda, in qua *similibus* Augustorum *Christianorum* Gentilibus indulgentium exemplis caussam tuetur. Inde *Gentilium* etiam *Principum*, hoc quoque Seculo, spes fallaces. Talem se professus est *Eugenius*, qui *Herculis* imaginem in vexillis *Theodosii Magni* labaro opposuit, *Christi* cruce signato. Talis & *Stilichonis* filius, qui *Gentilibus* Sacra sua sacrilega *concessurum* se stipulatus est, si purpuram eorum opera consequeretur. *Magnus* fuerit oportet profecto *Gentilium numerus*, ut *novi* Imperii *initiis*, Principes è re sua fore censerent, ut iis, tam atroci *Christianorum* verorum *scandalo*, tam fœde adularentur. Et multas in *Capitolio* Superstitionis suæ reliquias recenset *Ammianus Marcellinus*. *Theatrorum* autem usum *genuini* abominabantur Christiani, quibus favebant *tepidiores* laxioresque, ut *quinto* quoque Seculo ad *exitum* vergente queritur *Salvianus*. Sed & in *Urbis Romanæ Notitiis*, eodem *Seculo* V°. confectis, *Templorum* passim, *Theatrorumque* frequens occurrit mentio. *Urbe* autem *universa* ad *Christi* fidem conversa, & *Romanorum* præsertim *Pontificum* ditioni subacta, diu superesse *non* poterant tam *adversa* Christiano zelo *Piacula*. Proinde apud *Veteres* quærenda est tanta illa Artis elegantia, non apud *juniores* Artium, quasi è postliminio, restauratores. Multo autem minus in *mediis* ab *Augusto* Seculis. Eamque *Antiquitatem* evincunt *arma militaria* omnia pro *Romanorum florentium* Disciplina repræsentata. Non autem ea, quæ *Barbaris* Imperium diripientibus

originem debebat, à *Romanorum* antiquis moribus alienissima.

2. Vixit hujus monumenti *Artifex* postea quam *Romanorum* Disciplinæ *Militari* assuevissent *Galli Cis-Alpini*, in Civitatem recepti *Romanam*, & in *Legionariorum*, non *Sociorum*, numeros exinde conscripti.

Suæ enim, qua ipse vixit, *ætatis* consuetudines designavit Artifex, *Historiæ Romanæ* veteris, & quæ *Camillo* coæva fuerat, admodum imperitus, ut multis docuit exemplis illustris *Cuperus*. Quod ergo *eadem* utrobique *arma* observamus, tam *Gallorum* quam *Romanorum*; inde intelligimus, tum vixisse monumenti hujus Opificem quum ita se re vera res haberet. Quum nempe *Galli Italiæ* coloni in mores habitumque *Romanorum* Dominorum penitus descivissent, ut *Galliæ Togatæ* nomine pars illa *Italiæ* veniret, ut à *Braccata Gallia* mores *avitos* etiamnum retinente internosceretur. Vixit ergo *postea* quam *Galli* illi *Cis-Alpini* Civitate *Romana* donati essent. Inde enim *avita* sua Disciplina in desuetudinem exeunte, *Romanos* æmulati sunt, ut fierent illis quam simillimi. Ita *Diodorus*: Τινὲς δὲ αὐτῶν, διὰ τὴν ἐπιμιξίαν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, μετεσχημάτισαν τὸν ὁπλισμὸν, ἐξομοιοῦντες ἑαυτοὺς τοῖς ἡγουμένοις. L. V. Hæc ille quidem de *Liguribus*, gente longe ferociori quam fuerint *Galli*. Ut non sit proinde cur dubitemus quin eadem fuerit caussa *Gallorum* quum *Romanorum* humaniori Disciplinæ assuevissent. Ceterum *Cis-Padanâ* Regione utrâque sedes fixerant *Galli Senones*, *Romæ* direptores. Nunquam tamen Civitatis *Romanæ* compotes, in illis ipsis *sedibus* ante *Urbis Conditæ* annum quingentesimum, ad internecionem usque deleti, si quidem fides *Romanis* Historicis. *Poëticum* enim est, quod *Chryxum*, hujus *Galliæ*, ut videtur, incolam, *direptæ* à suis majoribus *Romæ* Historiam in *Clypeo* suo ostentare faciat *Silius Italicus*. Non potuit ergo *noster* Artifex de *Gallorum Senonum armis* quippiam certi colligere è *sui* ævi *Gallis*, quo nullæ jam amplius supererant *Gallorum Senonum* in *Italia* vel *reliquiæ*. Unica restabat ratio, ut è *Gallorum* sui temporis *Togatorum*, pro *Romanæ* Togæ consuetudine, *armis* de *veterum* Urbis excisorum *armis* conjecturam faceret. Accepta enim *Civitate Romana*, armis aliis quam *Romanis* uti ne quidem *licuit*, ut in *Legiones Romanas* conscriberentur, & à

Roma-

Romanorum Sociis ſive *Auxiliis*, quibus *ipſi* antea accenſeri ſolebant, hac ipſa nota communium cum *Romanis armorum*, internoſcerentur. Vixit ergo *noſter* Opifex quum nulli jam ſupereſſent amplius, ſaltem in *Italia*, *Galli*, qui aliis, quam *Romani*, armis in Bello uterentur. Ergo poſt *Cn. Pompeium Strabonem*, *Pompeii Magni* patrem, qui *Gallis Ciſ-Padanis* Civitatem, in Bello *Sociali*, cum aliis *Italis* conceſſerat. Imo, poſt I^am^. *Julii Cæſaris Dictaturam*, qui *Gallis Tranſ-Padanis* (ſolo *Latii* Jure à *Pompeio* donatis) Civitatem etiam decrevit *Romanam*. Imo poſt *doni* etiam *memoriam* tam eximii, quum *armorum* veterum *memoria*, apud hos *Italiæ Gallos*, exoleviſſet.

Itaque *Auguſti* temporibus *antiquius* hoc ne quidem *potuit* fuiſſe monumentum. Nec viciſſim *multo* ſerius, ut è *vexillis* colligimus, quæ hîc videmus, *Equeſtribus*. *Cruces* hîc reperimus plane nullas, quales videmus in *Chriſtianorum* Principum *vexillis Chriſti* honori dicatis. Et ne quidem tales, quales memorant ſub *Ethnicis* Perſecutoribus *Chriſtianorum* Patroni *Apologeticorum* Auctores, à temporibus uſque S. *Juſtini Martyris*. Nulla hîc apparent *ligna tranſverſa*, è quibus pependerit ſeu *velum* ſeu *tabella*. Nulli hîc *orbes*, in quibus Principum Deorumve *vultus* adorandi proponerentur, quod *matureſcente* etiam *Imperio* receptum eſt, ſub *bonis* etiam Imperatoribus, *Trajano* atque *Antonino*, quum ne *haſtæ* quidem, vel *puræ*, formam exhiberent *ligna vexillorum erecta*. Forma, quam hîc reperimus, omnium *ſimpliciſſima* eſt. *Haſtæ* affixi *panni oblongi* qui *ventis* agitarentur. Neſcio an ad illius exemplum effícti fuerint *Quarti Seculi Dracones*, qui à *Parthis* primum, deinde ad *Perſas*, denique ad *Romanos*, emanarunt. *Cavi* nimirum, & ad ſimilitudinem *Serpentum*, è materia *rigidiori*, facti, ut *ventis* in *ora* ſpirantibus *Serpentes* etiam *ſibilare* viderentur, teſtibus *Vegetio* atque *Ammiano*. Cunctis tum *Orbis Romani* incolis, *Caracalla* Imperante, in Civitatem *Romanam* admiſſis. Sed ante *Antonini Caracallæ* Imperium, *alia* à noſtri *Clypei* vexillo apud *Romanos* fuiſſe *vexilla* è *Trajani* atque *Marci*

3. Et tamen ante Seculum *Trajani*, ut ex hujus Clypei *vexillis* colligimus *Equeſtribus*.

Marci Antonini nummis constat. Jus ergo *Civitatis*, quod in *Gallis* supponit *Clypei*, seu *Parmæ* potius *Equestris*, fabricator, *antiquius* fuerit oportet temporibus *Caracallæ* atque *Trajani*, ut è *Trajani* atque *Marci Antonini* etiam *columnis* manifestum est.

4. Nondum, vel *Augusto* Imperante, *Animalium* motus ad *vivum* repræsentare poterant *Romani Statuarii*, ut in hoc videmus factum *Clypeo*.

Et quidem, *Augusto* rerum potiente, *cœpit* insignis illa *fabrilium*, qualis hîc apparet, *elegantia*. Sub eo ita canit Latinorum Poëtarum Princeps, *Æn.* VI. 848.

Excudent alii spirantia mollius æra:
Credo equidem,——————

Loquitur de *Artibus* in quibus *Græcos Romanis* eousque superiores agnoscit licet ipse *Romanus*. Fateor equidem, & in Arte *Oratoria* eundem *Græcos* superiores agnoscere. Etiam post mortem *Ciceronis*, quem tamen *Romani* plerique vel *parem Demosthenì*, vel eodem etiam *superiorem*, faciant. *Singularis* ergo fuerit *Virgilii* sententia *Demosthenem Ciceroni* anteferentis. In hac tamen caussa nihil est cur suspicemur adeo illum fuisse *singularem*. *P.* enim *Lentulum Cos. capita duo, quæ hominum admirationem meruerint, in Capitolio* dedicasse testatur *Plinius* Nat. Hist. XXXIV. 7. *Alterum*, inquit, *à Charete factum*; *alterum vero fecisse Decium, comparatione in tantum victum, ut artificium minime probabilis artificis videretur*. Quidni huc alluserit Poëta? Anno certe U. C. *Varron.* 736. *Consul* erat *P. Lentulus*, quo ipso anno Poëtæ *mortem*, mense tamen *Octobri*, ponit *Idatius*, Fastorum Auctor *plerumque* satis *accuratus*. Sub anni tamen *præcedentis Coss.* statuit vetus Auctor qui Poëtæ *vitam* scripsit. Nec incommode, quum *capita* illa, antequam *dicarentur*, in domo *Lentuli* videre potuerint, & quidem ita, ut de illis, quid *videretur*, sententiam tulerint *harum* rerum studiosi, quorum fidem secutus fuerit, hoc in loco, Poëta. Imo ita rem fuisse verisimillimum est, & *Dedicationis occasionem* præbuisse latas antea, de his capitibus, peritorum *sententias*. Ita enim futurum erat, ut *exploratum* haberent omnes hujusmodi *Artificiorum* idonei *Judices*, rectene, an secus, censuerint latæ jam antea sententiæ Auctores; & utri anteferendi essent,

Græci

Græci an *Romani*, *veteres* an *novi* Artifices, prostantibus palam insignissimis *Græci Romanique* Artificii monumentis. Nam & *Decii* opus in *admiratione* fuisse indicat *Plinius*, si non cum æmulo *Charetis* opere contenderetur. Sed *Dedicationis Publicæ* munus *Consulare* erat, & proinde ad ipsum *Lentuli Consulatum* commodissime differendum. Nihil ergo est quod obstet quin hæc tam insignia exempla *Græci veteris novique Romani* Artificii *Virgilio* innotuerint, è quibus horum Artificiorum periti sententiam in veterum *Græcorum* favorem tulerint. Nec diu ante obitum, summum Poëtam hæc scripsisse exinde constat, quod *Æneidem* suam flammis abolendam *Testamento* suo statuerit, quod manum ultimam *censoris*, in *sua* quoque caussa adeo accurati, nondum experta fuisset. Et quidem, *Augusto* Imperante, *Jani* Templo *clauso*, & pacato *Orbe Romano* cœpit hominum gravissimorum in *Artes elegantiores*, potentissimi *Principis* exemplo, favor, quo effectum est ut ad summam ἀκείβειαν mutua *Artifices* æmulatione accenderentur. *Reperisse* se Urbem rerum Dominam *lateritiam*, quam tamen ipse *marmoream reliquerit*, ipse gloriatus est *Augustus*. Vel inde intelligimus raras admodum fuisse, sub illius Imperio, vel *statuas Marmoreas*. Et tamen in Statuis antiquior erat materiæ *Marmoreæ* usus, quam in Ædificiis. Inde, ni fallor, tanta illa *Verris* in *statuis Græcorum* in *Sicilia* diripiendis, quod *pretium* Signis illis fecisset *Signorum* istiusmodi operis insignis in Urbe Romana *raritas*. Nullos saltem *tum* fuisse, quales, hoc in loco, descripsit Poëta, *vivos de marmore vultus*, omnino verisimillimum est. Tantundem valet *vivus de marmore vultus*, quod in *Ære spirare mollius*. Illam scilicet designat, in re *statuaria*, vitæ similitudinem æmulationemque quæ effecerit ut quasi *spirare* viderentur statuæ ex *Ære*, materia inanimi, fabricatæ, & *vivere vultus* in *marmore* repræsentatus. Ita nempe *victum* innuit *Artificis* ingenio materiæ *rigorem*, ut membrorum *vivorum* officia, *cute* atque *carne* vestitorum, peragere putarentur, propter *mollitiem*, quæ apparebat, ad Membrorum *agilitatem* plane necessariam. Eam scilicet *mollitiem* in

materia

materia *rigidissima*, & *vitam* expresserat *Artificis* ingenium in *materia* ad *vitæ* munia obeunda similiter ineptissima. *Virgilianam* hanc *mollitiem* ex illis *Quinctiliani* de primis *Statuariæ* Artis Opificibus optime interpretabimur: *Duriora* (inquit) *& Tuscanicis proxima Calon atque Egesias, jam minus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit.* Inst. L. XII. c. 10. Nondum ergo eam *Artis* ἀκρίβειαν attigerant Artis *Statuariæ* sub *Augusto* Professores, ut *Animalium* munia *Vitalia* assequi potuerint, quam tamen tui *Clypei* Artificem attigisse manifestum est. Inde *Dædalus simulacra* dicitur fecisse *moventia*. Quod de *Automatis* interpretantur juniores nonnulli, & *Argento vivo* infuso præstitisse credidit *Themistius*. Prudentiores alii, de *oculis apertis*, & *manibus pedibusque* prius corpori *jungi* solitis, ab *eo* autem *primo* à corpore ita *sejunctis* ut sejungi necesse est dum *motus* sibi proprios exsequuntur. Neutrum ego inventum ad *Dædali* ætatem accedere potuisse crediderim. *Poëtarum* illæ Fabulæ sunt *veris* Græcorum *Historiis* antiquiores. Hoc tamen volebant *Poëtæ* ut primum simplicissimum Artis *Statuariæ cultum* illi tribuerent, quo gradus factus est ad *vitalium* munerum illam, de qua agimus, in materia *inanimi* imitationem. Et quidem verum fuisse quod de antiquioribus *Dædalo Statuariis* referunt *Poëtæ*, si minus de ipso *Dædalo*, saltem de *primis* Statuariæ Artis *inventoribus*, ex antiquissimis veterum *Protomis* facile intelligimus, quas *oculis captas*, & *brachio utroque* mutilatas observamus. *Primus* ergo *gradus* ad *vitæ* similitudinem *statuis* conciliandam erat, si & *oculus* non *clausus* amplius, qui *mortuo* similior erat, sed *apertus* exhiberetur, & *visioni* ipsi paratior. Sic item *manuum pedumque* adjectio ad *proprios* manuum pedumque *motus* repræsentandos propius faciebat. Quod *Poëtis* ansas *Fabularum* ex *Historiæ* quavis *circumstantia* captantibus, & *miranda* omnia *ultra* Historiæ *veritatem* augentibus, occasio satis verisimilis esse potuit ut *statuas* ipsas, quasi *Automatica* virtute præditas, *moveri* fingerent. Et quidem hanc ipsam *Fabulam* ita interpretatur antiquissimus *Fabularum* ex *Historiis* explicator *Palæphatus*,

Vid. *Scalig.* ad num. *Euseb.* 737.

phatus, *Virgilio* ipso *vetustior*. Ut proinde vis nulla esse possit si *Poëtæ* doctissimi sententiam ita intelligamus. Sed & illa quoque *Quinctiliani* de *Tuscanicis* verba obiter observanda sunt. Inde enim discimus, ne *Tuscos* quidem, vel *Quinctiliani* ætate de *statuarum duritie* notatos, nondum hanc peritiam adeptos fuisse, ut *clypeum* tuum in *Romani* magnatis gratiam effinxerint. Et proinde frustra esse qui, si minus *Romanis*, at saltem *Hetruscis*, *Clypei* tui honorem, nimia certe facilitate concedendum existimant. Et sane, ante *Augustum*, *Mummii Achaici*, in statuis *Corinthiacis* (quas, hoc in loco, *Poëtam* in animo habuisse recepta est opinio) *Romam* transferendis, *rusticitatem ruditatemque* plane *Militarem* perstringit *Velleius*, qui tamen eodem, quo vixit *Mummius* ipse, tempore *Scipionis Africani junioris* elegantius ingenium agnoscit. Sed parum valebat hominis, quantumvis celebris, *privati* tamen, *Auctoritas* ad studia ingeniorum accendenda. Non est ergo cur miremur ita se rem habuisse quum scriberet Poëta, ut *veteres Græcos* junioribus *Romanis* Artificibus longe anteferendos fuisse *vulgo* crederetur.

Vox autem *excudendi*, qua usus est Poëta, *Artem* plane eandem σφυρηλασίας designat quæ tam insignis in tuo, præstantissime *Woodwarde*, apparet monumento. *Mallei* enim vestigia in parte illius *aversa* manifesta sunt. Quod scilicet *crassitudo*, quæ formis, in quas liquefacta infundebantur, implendis necessaria erat, *onerosior* futura erat quàm ut usibus *Bellicis* inservire possit. Sed ad *æra* tantummodo processerat Ars illa *excudendorum* metallorum quæ *Virgilio* innotuit. *Ferri* autem *excudendi* methodus, & quidem tam eximia ut Animalium *spirantium vitam mollitiemque* imitaretur (qualis in tuo expressa est *Clypeo*) nondum *Virgilii* ætate inventa fuisse videtur, saltem apud *Romanos*, quum *æris* excudendi artem, *olim* apud *Græcos* excultam, *Romani*, ne *tum* quidem, satis feliciter assequerentur. Et tamen, sub *Neronis* Imperio, in *Occidente* repertum Artificem *Zenodorum* idem ibidem ostendit *Plinius*, qui *fingendi* Nat. Hist. XXXIV. 7.

5. *Nerone* demum Imperante, primo contigit, ut *par* fuerit *Græcis veteribus*, in Arte *excusoria*, *Romæ* Artifex *Zenodorus*. Postea *defecit*. Hoc ergo tempore vixisse verisimillimum est *Clypei* Opificem.

cœlandique scientia nulli veterum postponeretur; imo qui *omnem amplitudinem statuarum ejus generis* etiam *vicerit*, sua, ut inquit, *ætate*. Innuit omnino, *ante* suam *ætatem* neminem fuisse qui tanta fuerit Artis peritia ut cum antiquis *Græcis* contendi posset. Et *Neronis* Imperio docet illum inclaruisse *Zenodorum*. Primo scilicet *Arvernis* in *Gallia*, ubi *Mercurii* statuam *per annos* x. elaboratam ingenti pretio fecerat. Et *duo pocula Calamidis manu cœlata, quæ Cassio Syllano Præceptori* suo *Germanicus Cæsar adornata donaverat*, ita *æmulatus est ut vix ulla differentia esset Artis*. E *Gallia* autem, *postquam satis ibi Artem approbaverat*, *Romam Zenodorum à Nerone accitum* testatur *illius Principis simulacrum Colosseum*, postea *Solis venerationi dicatum*, post damnatam *Neronis* memoriam. Exinde intelligimus, *medio* hoc intervallo, quod à *Virgilio* fluxit usque ad *Neronem*, nondum apud *Romanos* fuisse Artifices *summa* hujus Artis *peritia* celebres. Alioqui nulla fuisset ratio cur è *Gallia Romam Zenodorus* accerseretur, si fuissent, etiam in ipsa Urbe *Romana*, Artifices *Zenodoro* pares. Proinde *post Neronis* initium, nostrum, quicunque demum is fuerit, Artificem vixisse verisimillimum est, saltem in Urbe ipsa rerum Domina floruisse. Nec *multo* tamen serius. Nam ab initio *Neronis* Æræ nostræ *Christianæ* LIV°. ad illum, quo scribebat ipse *Plinius*, annum ejusdem Epochæ LXXVII. paullatim *defecisse*, ipse satis luculentus testis est. Et *normam* defectionis statuit ipsa illa, quæ etiamnum exstabant, opera *Zenodori*. Sic habent illius verba: *Quantoque major in Zenodoro præstantia fuit, tanto magis deprehenditur Artis obliteratio*. Sic enim melius Lectio *Marginalis*, quam quæ locum habet in hodierno Textu: *deprehendi æris obliteratio potest*. Quasi nempe ad *metalli* obliterationem (quæ tam brevi spatio magna admodum esse non *potuit*) observationem illius retulisset *Plinius*. His itaque limitibus concludendum erit hoc monumentum, si quidem *summis* in eodem genere *Artificiis* par fuisse credatur, saltem *Romanis*. Recte ergo hanc *Camilli veteris* Historiam in *Clypeo* repræsentat hujus *ætatis* Scriptor, *Silius Italicus*, ultimi *Neronis* anni

Consul,

Consul, quique *Consularium Neronis ultimus* decessit sub *Trajano*, teste *Plinio* juniore. E *sui* nempe *Seculi* moribus, quales fuerint, in Bello *Hannibalico*, *Clypei* conjecturam faciens. Nec obstat quippiam quo minus *hunc* ipsum clypeum suis *ipse* oculis usurpaverit. Par enim erat ratio cur *Chryxus Gallus obsessi* à *majoribus* suis *Capitolii* Historiam in *clypeo* exhiberet, ac cur *junior* aliquis è gente *Furia Camillus erepti Capitolii fugatorumque* exinde *Gallorum* in suo quoque *clypeo* exhiberet. Et plane *simili* conjectura Clypei artifex coævis *Camillo Gallis arma* tribuit eadem, quæ *Galliæ Togatæ* incolas, quum Cives essent *Romani*, usurpasse suo Seculo constabat. Sic & *Mutii Scævolæ* facinus in *clypeo* junioris è gente *Mutia* prolis exhibet idem *Silius*, & *Patris* & *avunculi* gesta in filio ac nepote *Scipione Africano* seniore. Magno autem erat imitaturis incitamento, quod perfectissima quæque, in suo cujusque genere, exempla in *Capitolio* ab omnibus conspicienda prostarent. Inde enim constabat quò eniti illos oportebat qui de *gloria* certare vellent. Magno præterea, quod tam propitia essent *Principum* virorum patrocinia operarumque *præmia*, quantumvis *diutinis*, & *quantiscunque* laboribus paria. Nec diu in *ancipiti* manere *Artium progressus*, olim à *Velleio Paterculo* observatum est. L. I. fine. *Historicos Romanos* omnium celeberrimos *minus* LXXX. *annis circumdatum ævum* tulisse refert. *Oratoriæ* principatum ita *Ciceroni* tribuit, ut *delectari ante eum paucissimis, mirari vero* (inquit) *neminem possis, nisi ab illo visum, aut qui illum viderit*. Et (quod propius ad nostrum facit institutum) hoc idem evenisse dicit *Grammaticis, Plastis, Pictoribus, Scalptoribus, ut quisque* (ait) *temporum notis institerit, reperiet, eminentia cujusque Operis artissimis temporum notis circumdata.* Difficilem ergo esse observavit *in perfecto moram* : *naturaliterque quod procedere non potest, recedere.* Et, *ut primo, ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur* ; *ita, ubi aut præteriri, aut æquari, vere posse desperavimus, studium cum spe senescere, &, quod assequi non potest, sequi desinere.* Non est ergo cur miremur si *brevi* illo

 spatio,

ſpatio, qúod à *Zenodoro* fluxit ad *Plinium*, defectionem in *medii* temporis Artificibus ipſe *Plinius* agnoverit. Hoc tamen *ſpatio* floruerit oportet noſter *Artifex*, quo Artis *excuſoriæ* feliciſſimi fuerint *progreſſus*. Antea tamen quam *ſpes* illud, quod ſequebatur, aſſequendi penitus deçollaret.

6. Unde tantam huic *Clypeo* firmitatem in *temporis* injurias conciliarit *antiquus* Artifex, præ aliis *recentiorum* temporum *ferramentis*. Quid ῥομφαία δίστομος.

Sed vero *ferrum* ita *emollire* atque *lævigare*, & tamen ita in *temporis* injurias firmare, ut in hoc monumento factum videmus, ut *binas* recentioris ferri, in partibus interioribus, redintegrationes æquaret, imo etiam ſuperaret: hæc, ut majoris *Artificii*, ita *Artis*, temporis progreſſu, *excultioris* indicia ſunt, & *temporis* adeo *recentioris*. Operis in *hoc* metallo poſiti difficultatem jam olim obſervavit *Pauſanias*: Σιδήρου, inquit, ἐργασίαν τὴν ἐπὶ ἀγάλμασι χαλεπωτάτην καὶ πόνου συμβέβηκεν εἶναι πλείστου. *Phocic*. p. 334. l. 10. Non erit ergo à noſtro inſtituto alienum, ſi hæc quo modo ab *Antiquis* effecta fuerint, aliquatenus explicemus. *Metalla* nobiliſſima recenſet *Plinius* Nat. Hiſt. XXXIV. 14. unde *materiam* uſibus ſuis maxime idoneam Artifices accepiſſe veriſimillimum eſt. *Artemque* refert *Diodorus*, qua *Hiſpani* veteres *ferrum* duriſſimum, & à *ferruginis* vitio liberrimum, in uſum *acierum*, deprehenderint. Bibl. L. V. Nempe defodiendo in terram, dum partes Metalli *infirmiores* ferrugine abſumerentur, eæque ſolæ ſupereſſent quæ nullam ſenſerant vim *ferruginis*. Harum *acierum* vim tantam fuiſſe dicit ut nulli *gladiis* exinde fabricatis arcendis ſuffecerint *Clypei*. Et *aquæ* uſum ad *duritiem* ferro conciliandam agnoſcit *Homerius* Odyſſ. IX. *Bilbilis* autem *aquas*, præ aliis aliorum *fluviorum* aquis, huc conferre obſervavit è *Trogo Juſtinus* Hiſtoricus L. XLIII. Eodem faciebant etiam & *fornaces*, ut ex *Ariſtotele* Meteoror. L. IV. diſcimus, & *Plinio*. Recentiorum etiam *ferri purgandi* artes recenſet doctiſſimus *Magius* Miſcell. L. II. c. 3. inutiles prorſus ad *Veteris* (quod hic molimur) artificii firmitatem explicandam. *Ferrum* autem ita *expurgatum*, & ad ſummam, qua licuit, *duritiam* redactum, στόμωμα *Græci*, *Plinius* vero *nuçleum* appellabat, Quidni hinç

hinc στόμα ῥομφαίας, & ῥομφαίαν δίστομον, in *Græcis* præsertim Textibus, sine *Ebraismo* explicemus? Ita certe *Aristoteles*: Τήκεται δὲ καὶ ὁ εἰργασμένος σίδηρος, ὥστε ὑγρὸς γίγνεσθαι, καὶ πάλιν πήγνυσθαι, καὶ τὰ ΣΤΟΜΩΜΑΤΑ ποιοῦσιν οὕτως. Ὑφίσταται γὰρ, καὶ ἀποκαθαίρεται κάτω ἡ σκωρία. Ὅταν δὲ πολλάκις πάθῃ, καὶ καθαρὸς γένηται, τοῦτο ΣΤΟΜΩΜΑ γίγνεται. Οὐ ποιοῦσι δὲ πολλάκις αὐτὸ, διὰ τὸ ἀπουσίαν γίγνεσθαι πολλὴν, καὶ τὸν σταθμὸν ἐλάττω καθαιρομένου. Ἔστι δὲ ἀμείνων σίδηρος ὁ ἐλάττω ἔχων ἀποκάθαρσιν. Meteoror. L. IV. Et varia στομωμάτων genera ex antiquo Auctore *Daïmacho* recenset *Eustathius*. Sic ille: ΣΤΟΜΩΜΑΤΩΝ φασὶ, τὸ μὲν χαλυβδικὸν, τὸ δὲ Σινωπικὸν, τὸ δὲ Λύδιον, τὸ δὲ Λακωνικόν. Καὶ Σινωπικὸν μὲν καὶ χαλυβδικὸν, χρήσιμον εἰς τὰ τεκτονικά. Λακωνικὸν δὲ εἰς ῥίνας, καὶ σιδηροτρύπανα, καὶ χαρακτῆρας, καὶ λιθουργικά· τὸ δὲ Λύδιον εἰς ῥίνας καὶ αὐτὸ, καὶ μαχαίρας, καὶ ξύρια, καὶ ξυστῆρας. Οὕτω Δαΐμαχος ἐν πολιορκητικοῖς ὑπομνήμασι κατὰ τὸν τὰ Ἐθνικὰ γράψαντα. Iliad. II. Catalog. Similiter & λεπίδα ΣΤΟΜΩΜΑΤΟΣ legimus apud *Dioscoridem* L. V. Mater. Medic. c. 90. *Ferrei*, ut videtur. χαλκοῦ enim λεπίδι opponitur. *Æris* tamen STOMOMA memorat *Plinius* L. XXXIV. c. 11. Qui eo nomine vulgo à Doctis reprehenditur. Immerito tamen, ut opinor. *Plinio* adstipulatur *Celsus* L. VI. c. 6. cui multa debebat *Plinius*. Nec video sane cur non ex *Ære* similiter obdurato *Heroum cuspides aciesque* conficerentur, quum *Arma Heroes* non alia quam *ænea* usurparent. Purgata scilicet in *Ære ærugine*, eisdem Artibus quibus in *ferro ferruginem* Veteres similiter nativam depurgabant, purâ, sine fæcibus, Metalli materiâ relictâ. Idque fortasse volebat *Aëtius*, quum σιδήρου ΣΤΟΜΩΜΑ aliquando memorat, ut scilicet ab *Æreo Stomomate* internosceretur. Abiit enim in desuetudinem *Æreum Stomoma*, reperto *ferreo*. Multis ergo probat *Matthiolus* in *Dioscor.* L. V. c. 50. eod. quod *Saraceno* 90. voce *Stomomatis* simpliciter acceptâ, non aliud à *Medicis* intelligi quam *ferreum*. Et *ferri squamam* pro *æris* reposuit in sua Editione *Celsi Vander-Lindenus*. Nescio an Auctore *MS*. *Æris* certe legit in sua *Celsi* Editione ad prædictum *Dioscoridis* locum *Saracenus*. Sed minus nocitura erat in hoc nostro opere nimia *durities*, effectura scilicet ut etiam *fragilis* evaderet.

Opus

Opus erat præterea *mollitie* quadam ſeu *lentore* potius ut *malleo* pareret, eſſetque in quamcunque formam *ductilis* quæ *malleatori* Artifici videretur. Hoc *oleo* conſequebantur Veteres, quo *excandeſcentia* è *fornace* ferramenta exſtinguere ſolebant. Sic enim habet, ubi ſupra, idem Plinius. *Tenuiora*, inquit, *ferramenta oleo reſtinguere mos eſt,ne aqua in fragilitatem durentur.* Nat.Hiſt. XXXIV. 14. Dedita autem opera, dixi, *excandeſcentia*, propter ſequentia ejuſdem Auctoris verba: *Rubens non eſt habile tundendo, neque antequam albeſcere incipiat.* c. 15. Erat enim plane neceſſaria illa *tundendi* opera ut ad noſtra uſque tempora perſeveraret Opus Artis tam eximiæ. Huc enim faciunt *verba* illius proxime præcedentia: *Ferrum accenſum igni, niſi duretur ictibus, corrumpitur.* Alius autem erat præterea in *futurum* metus, ne aëri expoſitus tuus ille Clypeus *rubiginem* contraheret, longo ſaltem *temporis* progreſſu. Huic incommodo quo modo à Veteribus occurreretur, idem docet, qui & præcedentia, Naturalis Hiſtoriæ parens: *A rubigine vindicatur*, ait, *ceruſſa, & gypſo, & liquida pice. Hæc eſt temperatura Antiodes dicta.* Hæc enim vera videtur fuiſſe *Lectio*, quod ἰῷ ἐναντία fuerit illa *temperatura.* Ita comparatum, ne in partium, quanta potuit, per *contuſionem* mallei, *proximitate* invicem junctarum, intervalla madidus *aër* irrepere potuerit, qui *rubigini* locum faceret. Et ſane *alienus* ille à *ferri* colore nativo color, gratiſſima *nigredinis candoriſque* mixtura temperatus, quo efficitur, ut *vultus oculique* Animalium *renidere*, & quaſi *ſpirare*, videantur, *temperaturæ* illius, quam dixi, *Plinianæ* obductæ *veſtigia* mihi eſſe videntur. Niſi forte *Auri Argentive* poſtea à *Barbaricariis* inducti ἐδάφει habenda ſint, neceſſario etiam ipſo ut *lamellæ Metallicæ ferro* adhæreſcerent. *Auri* enim obducti reliquias ipſe obſervaſti. *Gradus* autem, quibus factus eſt in peritia *Statuaria Ferraria* progreſſus, deſignare non adeo facile eſt. Statuas quidem *ferreas* memorat tam *Plinius* quam *Pauſanias.* Sed nec *temporis* adjectis notis, nec adjunctis Operum, quaſi *ſingulare* quippiam complectentium, *præconiis.* Non item *Clypeos ferreos* ar-

tificio

tificio insignes. *Græcorum* autem inventa, in hac etiam *materia*, utrobique memorata, *Romani* imitabantur. Eodem autem *tempore* proficere poterant utriusque *materiæ* operarii, ut quod in *ære* placuisset, id etiam in *ferro* æmularentur.

7. *Brevior* hæc Clypei, & quidem *rotundi*, forma, *Parma* potius appellanda est, & quidem *Equestris*.

Sed & alia præterea *Temporis* nota est in ipsa monumenti tui *forma*. Nec enim est, ut hactenus habetur, *Clypeus*; sed *Parma*, seu *Velitaris*, seu potius, ut videtur, *Equestris*. Et quidem ex eo *Parmæ* genere, quod *Buculæ*, vel *Bucculæ*, nomine apud *juniores* audiebat. Erant quidem & *Clypei*, apud *Græcos*, *rotundi*; &, apud *Romanos* nonnunquam, rotunditate *oblonga*, profundiores nempe, quam latiores, ut corporibus *integris* defendendis sufficerent. Tuus ille *brevior* est, nec, ut loquuntur *Græci*, ἀνδρομήκης, nec aliam tuebatur Equitis *partem*, præterquam eam quæ *Equo* ipsi *supereminebat*. Estque *examussim rotundus*, quales *Parmas* proprie sic dictas fuisse agnoscunt *Polybius* atque *Varro*. Imo nominis *Etymon* exinde deducit *Varro*, quod *pares* habuerit *Parma* lineas, undequaque, à centro usque ad circumferentiam, quæ *Circuli* definitio est apud *Mathematicos*. Erant quidem suæ quoque fateor *Velitibus Parmæ*, quo etiam ipsi *Velites* agiliores essent *pedestri* prœlio hostem impetentes,quum *minori* pondere impedirentur armorum. Quæ eadem ratio locum in *Equitibus* habebat, quo facilius liceret *Equum*, quoties videretur, insilire; *equisque* ipsis, si occiderentur, sese expedire. Sed *Equitum* pugna est, quæ in hoc tuo monumento repræsentatur, qua, ut *arma* reliqua, ex utraque tam *Gallorum*, quam *Romanorum*, parte *similia* sunt; ita *similes* etiam sunt, ex utraque parte, *Parmæ*, similesque, in *Parmarum umbonibus*, *Animalium* figuræ si *spiculum* excipiamus cujus inferendi locus in tui Animalis *ore* manifestus est. *Limbus* tamen *exterior* Parmæ tuæ *proprius* est, qualem nullum in aliis, quæ *hic* apparent, *Parmis* observamus. Nempe *Historiæ* fugatorum ab Urbe *Gallorum*, opera *Camilli*, designatus, quæ hunc limbum *integrum* sibi vendicat. Reliquæ *Equitum Parmæ*, ut *nullas* exhibent

Historias,

Historias, ita nec *limbos* in usum *Historiarum* convertendos. *Discriminis* caussa illa satis verisimilis esse potuit, quod *Tyronibus*, nec rebus à se, vel majoribus, *gestis* insignibus, nullæ fuerint, etiam apud *vetustiores*, imagines. Inde *Virgilianum* illud: *Parmâque inglorius albâ.* Nulli ergo erant in his Tyronum Parmis *limbi* in quibus nullæ locum habere poterant rerum gestarum *Historiæ*. Antea enim quam *Animalium* imaginibus insignirentur *Umbones*, locus insignium *Equiti* propriorum in ipsis erat *umbonibus*. Ita *Parma alba* illa appellanda erat quæ nullam in *umbone* exhibebat *effigiem*. Et viceversa, quum receptum esset ut *Animalium* vultibus *Parmarum* omnium *umbones* ornarentur; rei *nullius* insignis ab *Equite* gestæ nota erat si nulli extra ambitum *umbonum*, in *marginibus* umbonum, affingerentur *limbi*. Talem hîc videmus *Equitis Galli* fugientis *Parmam*. Poterant tamen *Animalium* ferorum ab Equite *cæsorum* tropæa & insignia illi quoque Animalium fuisse in umbonibus *vultus*. Prima enim *Heroum* tyrocinia in *ferarum* humano generi infestarum venatione posita sunt, de quibus modestius, minusque insolens visum erat, quam de *Humano* genere ipso, triumphos agere. Inde antiquissimus ille mos apud *Barbaros*, ne quidem etiamnum excultos, cæsorum *hostium capita* in victoriæ monumenta convertendi, & de illorum *numero* gloriandi. Sic *primarum* etiam Parmarum *albi* etiam fuerint *umbones* dum nulli etiamnum accessissent *limbi*. Parata autem erat insignibus, quum mererentur, postea excipiendis illa quoque umbonum *albedo*. Recentior ergo est hæc *Parmæ* forma, quam fuerit illa quam *Heroicis* etiam temporibus tribuit Doctissimus Poëta, decori, qua licebat, observantissimus. Nec alia illa quam, quæ *Bucculæ*, vel *Buculæ*, nomine notior erat apud *juniores*. Videamus ergo quibus demum gradibus ad hanc formam *Parmæ* venerint *Equestres*.

8. *Clypei*, apud *Romanos*, ne quidem *Polybii* ætate *Metallici*.

Primam antiquissimamque earum formam, cum umbone quidem, sed è coriis tamen *bovinis* constitisse, narrat *Polybius* L. VI. Atque ita factum, ut *imbribus* madefactæ istiusmodi *Parmæ* nullam plane *firmitatem* retinerent in *impressionibus* adversus

adversus *hostem* faciendis; imo *impedirent* potius in *rugas* contractæ, & à forma quæ *loris*, quibus tegebantur, responderit, descifcentes. Pro exemplo scilicet temporum *Heroïcorum*, in quibus *clypeum Ajacis* ἑπταβόειον legimus. Sed *tripedalem* facit illius *Parmæ* diametrum *Polybius*, longe *ampliorem* quam in *tua* videmus *Parma*, pedestri *gravique* armaturæ aptiorem, quam *levi* & *Equestri*. *Parma* tamen & illa appellanda erat, quæ *lineas* à centro ad circumferentiam *pares* similiter habebat. *Latitudinem* illam contraxit *Iphicrates*, ut nos docet in illius vita *Cornelius Nepos*, quem proinde pro *Parma* Peltam fecisse testatur. Ex hoc Scriptoris *Romani* loco vocis utriusque discrimen, apud *Romanos*, manifestum est. Nam & *Pelta* origine *Romana* est, à *pellendis* hostibus ita appellata. Sed in armis tantummodo *pedestribus* mutationem illam fecit *Iphicrates*. Ut proinde *Pedites Peltastarum* nomine postea appellarentur. Ecquam similem in *Equestri Parma* contrahenda novitatem introduxerit *Iphicrates*, de eo nihil *Nepos*. Et tamen *brevioris* formæ *Parmas*, apud *Romanos*, in *utraque* Militia, non *Equestri* tantummodo, verumetiam *Pedestri Velitum*, obtinuisse in confesso est. Et quidem ita obtinuisse ut *Parmæ* nomen sibi *proprium* habuerit *brevior* illa forma *Parmæ*, atque contractior. Quum scilicet forma illa *amplior* nulla esset apud *Romanos*, Clypeis *oblonga rotunditate*, vel *Scutis* in *imbricum* similitudinem formatis, *Parmarum ampliorum* vicem supplentibus, & quidem multo commodius. Erat autem in *Equitibus* adeo manifesta *amplioris* formæ incommoditas, ut proinde verisimile sit in *Equitibus* nunquam obtinuisse, seu *Græcis*, seu *Romanis*. Id quum ita se haberet, non opus erat ut *Parmas Equestres* contraheret *Iphicrates*, quum hac *contractiori* forma fuerint ad *Equestris* Prœlii usus longe accommodatiores. Nec etiam opus erat ut *contractioris Parmæ* usum apud *Romanos* à *Græcis* arcesseret *Polybius*, quum non alia fuisset unquam, apud *Romanos*, Parma *Equestris* quam *contractior*. Id unum à *Græcis* emanasse docet, quod *stabiliori* fulcro *coria* sua *bovina* induxerint, ut formam, qua effingebantur, *coriis*

etiam in *pluvio* aëre madescentibus, aliquatenus retinerent. Fulcrum hoc non *Metallicum*, sed *ligneum*, conjicit, sed timide, *Lipsius*. Rectissime, ut videtur. Nam in θυρεῷ *Romano* διπλοῦν σανίδωμα agnoscit *Polybius* ταυροκόλλῃ πεπηγὸς ὀθονίῳ, *duplici tabulatione Taurino glutino* cum *linteo* compactum. De *glutino Taurino Plinius* Nat. Hist. XXVIII. 12. 18. Et *arbores* in usum *tabularum* aptissimas, è veterum *Romanorum* sententia, docet ipse *Lipsius*, de *Milit. Rom.* L. III. Dialog. II. Cur dubitemus quin, in ætatis *Polybianæ* Parmis, idem fuerit *fulcrum*, tantummodo nempe *ligneum*? Sic tamen ut non *tegumenti* tantummodo vicem suppleverint *coria*, quum pugnaretur, amovendi; sed ut *pars Parmæ* præcipua haberentur ad tela hostium, inter pugnandum, arcenda. Hoc enim *Parmarum*, sui etiam *Seculi*, *coriorum* μυδώντων incommodum etiamnum agnoscit *Polybius*: διὰ τὸ μὴ στάσιν ἔχειν, ὑπό τε τῶν ὄμβρων ἀποδερματούμενοι καὶ μυδῶντες, δύχρηστοι καὶ πρότερον ἦσαν, καὶ ΝΥΝ ἔτι γίνονται παντελῶς. L. VI. Ὀθονίου autem, seu *lintei* nomine idem, ni fallor, intellexit, quod nostrates hodieque lint appellamus, *linteos* nimirum in fila discerptos, quo melius liquores imbiberent, & per *filtrationem* liquores ipsi in intimos rerum ita conjungendarum recessus penetrarent. *Centones* illos appellabant veteres, frequentisque in re *Militari* usus fuisse docet *Cæsar* in suis de Bello *Gallico* Commentariis. Inde Collegia *Centonariorum* in *Inscriptionibus*. Ita factum ut ταυροκόλλη quum ab his *centonibus* imbiberetur in *tabulas* altius penetraret, firmiusque ipsas *tabulas* invicem constringeret. Manifestum ergo est, nondum ea, qua tua est, *materia*, ne dicam *elegantia*, *Parmas* apud *Romanos* fuisse, quum scriberet *Polybius*, circa annum *Urbis* præter propter *sexcentesimum*, aliquot, post receptam à *Camillo* Urbem, *Seculis*. Armabantur quidem tum quoque *Clypei* superne & inferne oris *Metallicis*. Idque à *Camillo* ipso inventum volunt nonnulli propter acumen gravitatemque *gladiorum Gallicorum*. Sic tamen ut nullum tum fuerit *Clypei* genus, apud *Romanos*, è materia tantummodo *Metallica*.

Ceterum

Ceterum *tua* illa *Parma* eadem est quæ *Bucula*, aut *Buccula*, audiebat his ipsis, de quibus agimus, temporibus. Meminit Codex *Theodosianus* L. X. Tit. XXII. 1. *Capitolinus* vit. *Maximini junioris*, *Juvenalis* Satyr. X.v.133. Et diu antea, in *Æmilii Paulli* cum *Perseo* prœlio, *Livius* L. XLIV. 34. Sed quid ea voce significaretur, ante Cl. *Cangium* nemo, quod sciam, explicavit. Habet quidem *Vitruvius*, inter voces Artis *Architectonicæ* Technicas, *Buculas*, *Suculas* & *Camillos*, quæ tamen nihil ad *Bucculam* nostram explicandam faciant, *translatis* nimirum à nativa significationibus. Vulgo de inferiori *cassidis* parte intelligunt viri Eruditi, qua *Equitis mentum* & *bucca* tegebatur, ut ab ea *Militis bucca* Bucculæ nomen acceperit. Sed *nullas* fuisse, apud veteres, istiusmodi *Bucculas*, si minus aliunde, ex hoc tuo monumento satis constat, in quo *Equitum*, etiam *rem gerentium*, vultus *nudos* conspicimus, nec ullo prorsus *munimento* protectos. Constat & ex *aliis* veterum monumentis. Constat è *Cæsaris* in campis *Pharsalicis* præcepto, ut *faciem* ferirent, *inermem* quippe, & vulneri imprimendo opportunam. Constat è *Cæsaris* milite *Crastino*, qui telum hostium in *guttur*, quum nihil medium intercederet, quo inde arceretur, accepit. Constat denique ex hoc eodem tuo monumento, in quo *occisorum cassides* humi jacentes observamus; *Bucculas*, quas *cassidibus* respondisse volunt hactenus viri Eruditi, plane commentitias, plane nullas; & è *Livio*, qui *Scutorum* quidem *Bucculas* memorat, non item *Cassidum*. Recte autem docuit Vir Nobilis *Buccularum* nomine ipsos intelligi *Clypeos* è *Metallo* factos, & *Barbaricariorum*, quorum opera in *Clypeis* versabatur *Metallicis*, arte proinde decorandos. Ita scilicet, ut *Cassidum*, quibus postea in Officio *Prætoriano* junguntur, numero ex æquo respondeant, & *parem* cum *Cassidibus* locum in *Tropæis* habeant, deque illis *pependerint*, ut docet *Juvenalis*. Imo *umbonem Clypei* hoc *Bucculæ* nomen *proprie* quodam jure sibi vendicavit. Inde Παράγναθος, quod *prope Buccam* fuerit, (quæ *Græcis* γνάθος est) & Ομφαλὸς ἀσπίδος, in *Glossis*

9. Hæc *Parma* ejusdem *generis* est cum illa, quæ, apud *juniores*, *Bucula*, vel *Buccula* nomine frequentius veniebat.

Glossis appellatur. Et tamen *Clypeum integrum* eodem *nomine* venire idem ostendit Vir præstantissimus. Nec utrumvis absurde. Erant enim utriusque generis *Equestres Parmæ.* Tua hæc, præter *umbonem, limbo* etiam *Marginali* instructa est, in quo receptæ à *Camillo* Urbis Historia repræsentatur. At in fugientis *Galli Parma*, solum cum *Bucculæ* effigie videmus *umbonem*, sine *Marginali* Appendice. Recte ergo *Parma* integra *Bucculæ* nomine veniebat, quum essent *Margines* Historiis capiendis destinati. Nec minus recte *Umbo* solus, quum nulli essent in margine *limbi*. *Buccula* enim proprie appellabatur *Umbonis effigies*, quæcunque demum ea fuerit, quæ non alibi locum habebat præterquam in *umbone*. Sic enim Cl. Cangius: *Buccula umbo proprie appellatur, quia in Umbone effigiebatur, ut plurimum, vultus aut facies vel viri, vel animalis, cujus bucula, seu os, medium obtinebat, uti passim vetera monumenta repræsentant.* Imo *virum integrum* in veteri *Buccula* observavimus. Sic tamen ut *Viri os* medium teneat *umbonis* locum, unde *spiculum*, si quod fuisset, tanquam è *bucca* procederet. In tua autem Parma *Bovis* fuisse videtur, siqua tamen *certe animalis* forma sit, nec pro Opificis arbitrio conficta. Nec alterius animantis *os* est quod in *Galli fugientis Parma* conspicitur. *Parmæ* inter *Romanos* humi projectæ tam obscuræ sunt lineæ, ut *cujus* Animalis sit ægre divinari liceat. *Alterius* autem animantis nulla prorsus sunt, in *ea* quoque Parma, vestigia. Et *bovis* profecto vultum fuisse verisimillimum est, quod in *Parmis* vetustissimis repræsentabatur, quum *Parmæ* ipsæ è *pellibus* præcipue conficerentur *bovinis*. Exolescente *Heroum* venatione, *ferarumque* capitibus in victoriæ memoriam servatis. Nec alias fuisse necesse erat quarum meminit *Livius* in Bello cum *Perseo*, anno U. C. *Varr.* 586. Verba hæc sunt: *Neminem totis mox castris quietum videres: acuere alii gladios, alii galeas, bucculasque, scuta alii loricasque tergere.* L. XLIV. 34. Sic in Editione *Gruteriana*. Quasi vero *aliena* fuissent à *bucculis scuta*. Sed meliorem *lectionem* suggessit è *Bas.* Cl. *Hearnius*: *alii galeas bucculasque scutorum, alii loricas tergere.* Quæ etiam

Editione

Editione *Jodoci Badii Parisiensi*, A. D. 1533. confirmatur. *Anteriorem* enim *scutorum* partem, quæ *tergenda* erat in prœlium prodituris, pariter ac *galeæ* & *loricæ*, occupabant *bucculæ*. *Scuta* autem illorum *temporum*, imo & *Parmas*, *coriaceas* fuisse, jam vidimus è *Polybio* (qui *Æmilio Paullo* erat *junior*) amico scilicet *Scipionis Africani* junioris, qui ab hoc eodem *Æmilio patre* cognomen habebat etiam *Æmiliani*. Postea *coriorum* usum in *desuetudinem* abiisse, è verbis *Suidæ* colligo. Πάρμαι, inquit, δερμάτινοι θυρεοὶ παρὰ Καρχηδονίοις. Postea: Πάρμη. Τῇ δυνάμει τῆς Πάρμης καὶ τῶν Λιβυστικῶν θυρεῶν ἀντεῖχον ἐῤῥωμένως οἱ Ρωμαῖοι. *Proprias* facit *Carthaginiensium*, aliasque à *Romanis*, has *Carthaginiensium Parmas coriaceas*. Et quidem nondum *excisa Carthagine*, nec Bello *Punico*, saltem III°. ad *exitum* perducto. *Parmas* itaque *Romanas* tum quoque *coriaceas* esse desiisse consentaneum est. Propter illud ipsum, ut videtur, incommodum, quod in *sui* quoque temporis *coriaceis Parmis Romanis Polybius* observaverat, quum *pluviæ* imminerent. Multum enim *Polybii* Præceptoris sui sententiæ detulit *Scipio Æmilianus* III. Belli *Punici* confector. Et *Romanos* hoc nomine laudavit ipse *Polybius*, quod ab *aliis*, etiam *hostibus*, meliora didicerint. Inde *tegminis* tantummodo vicem præstitisse videtur corium *Bovinum*, exuendi quoties cum hoste manus esset conferenda. Mansit tamen, ut videtur, in *novarum* quoque *Parmarum umbonibus*, *vultus* ille *Bovinus* in *coriaceorum* Clypeorum à *majoribus* usurpatorum memoriam. Atque inde, ni fallor, *juniorum* Clypeis commune nomen *Bucculæ*, etiam sub Imperatoribus *Christianis*. Sed utroque modo concipitur idem illud nomen, tam *Buculæ*, quam *Bucculæ*. Priori modo, à *Bubus* (eâdem quâ & *Bubulcus*, formâ, & *Bucolica*) Etymon habuerit. Ut à *suibus Suculæ* in sidere *Astronomico*. *Buccula* autem si scribatur, à *Bucca* ortum habere potuit. *Buccæ* enim inflatæ tumorem repræsentabat *umbo*, à cujus *ore* procedebat umbonis *spiculum*. Et quidem huc spectavit *Glossæ* auctor qui *Græce* Παραγναθίδα reddidit, & viceversa ille, qui vocem *Græcam* Παραγναθίδα *Bucculam*, *Philoxenus*.

Hanc

Hanc Ego vocis originem verisimiliorem existimo, quum & alias, præter *Bovinas*, *Buccas* in *Clypeis* observemus. Errat autem certe Cl. *Cuperus*, qui *Pani* hanc effigiem imputandam censet, eoque consilio adhibitam, ut hostibus *terror* incuteretur, qui à *Pane* Deo *Panicus* appellabatur. Ingeniosior illa, quam solidior, conjectura est. Nulli enim hîc in capite *pinus*, nec vultus *hircinus* aliquatenus, nec hirci *barba*, aut *cornua* in fronte *erecta*, quæ Dei *Panis* apud Veteres Symbola habebantur. *Cornua* quidem *Arietinis* similiora quam *Bovinis*. Sed *vultus Bovino* longe similior, quam *Arietino*. Nec sane idem est in *Parmæ* tuæ *umbone* Artificium quod in *limbo* ejusdem exteriore. Dedita fortassis opera, ut vetus Bucculæ imago retineretur, qualis fuerat *olim*, nondum exculta, apud *Romanos*, arte *Fabrili*. Quod vero *laminarum flexilium* mentionem reperiamus apud *Sidonium*, nihil prorsus ad *Buccæ* vultusve *tutelam* faciebant illæ *laminæ*. *Lororum* tantummodo vicem supplebant *coriaceorum*, quibus antea *vincta* sub Equitis mento *cassis* fuerat. Iis, ne deinceps *gladio* rescissis *Cassides* deciderent, & *capita* Equitum *nuda* hostilium telorum ictibus indefensa patefierent, *laminis*, quæ non adeo facile *rescinderentur*, provisum est, *lororum* vicem postea suppleturis. Nihil autem ad *facies armandas* faciebant illæ *laminæ*.

10. Ne quidem *Cæsaris* ætate, *Clypei* erant è *Metallo integri*, sed *umbone* tantummodo *ferreo*.

Videamus ergo quibus demum gradibus *Romanorum Parmæ* ad *hanc*, quam in tua videmus, formam pervenerint. Rejecto *coriacearum Parmarum* usu, ita factum diximus ut *tegumentorum* tantummodo vicem præstiterint deinceps *coria*. Tum *interiorem* Parmæ partem supplebant *crates* vimineæ, exteriorem tabellæ partem supra è *Polybio* memoratæ. Inde *Lucani* illa L. I.

——— *nuda jam crate fluentes*
Invadunt clypeos. ———

De *Romanis* loquitur, innuitque fractis jam *tabellis*, nudas fuisse *crates* facile *fluxuras*, nec protegendis militibus facile suffecturas. *Fractis* nimirum, per longam, quæ præcesserat, *Pacem*, Bellique *desuetudinem*. Quod certe

certe ægre de *Metallo* intelligi poteſt, ſed de abſumptis carie *lignis*. Nec enim *diu* antea *Bella* fuerant, etiam in *Italia*: Bella Civilia *Marii* atque *Syllæ*, & *Catilinæ*, ne dicam *Servile Spartaci*, hominum tum ſuperſtitum *memoriâ*, nec admodum *vetuſtâ*. Et *umbonum* illas fuiſſe *crates*, docent *Virgiliana* illa, Æneid. VII. v. 632.

——— *flectuntque ſalignas*
Umbonum crates.———

Quem in locum illa *Salluſtii* verba, ut videtur, ex *Hiſtoria*, advocat *Servius*, de *Lucanis* loquentis: *Qui de vimine facta ſcuta, recentibus detractis coriis, quaſi glutine adoleſcebant.* Hæc eſt, ni fallor, *Taurocolla*, quam vidimus, *Pliniana*, *ſanies* illa *recentium coriorum* detractorum, qua tamen non *crates*, iſtiuſmodi *glutinationi* ineptiſſimæ, *adoleſcere* dicuntur, ſed *tabellæ* ipſæ *ligneæ* (in quibus locum habebat *umbo*) ut Nos docuit *Polybius*. Eſt autem vox *adoleſcere*, qua hîc uſurpatur, ſignificatione, *antiqua*, & vere *Salluſtiana*. Idem enim denotat quod in voce *coaleſcere*, & quod in voce *inoleſcere*, quam *coagmenti* eſſe obſervant veteres apud *Gothofredum Grammatici*, p. 1347. l. 41. Eo nempe ſenſu quo *coagmenta conjunctiones arctæ & compares, à cogendo, id eſt, conſtringendo: unde & coagulum dicitur.* Ita *Nonius Marcellus*, p. 507. 4. Ita *adoleſcere* erit, in *unum* res diverſas ita conſtringere, ut non facile invicem divelli poſſent. Ita *Parmas* in hunc modum conglutinatas *dealbabant*, ut ſiqua meritus fuiſſet, à rebus *geſtis*, tyro honoris *inſignia*, coloribus in *albo* illo pingerentur. Ita *candidum umbonem Perſii* Sat. V. v. 33. de *Perſii* jam adulti *tyrocinio* interpretatur *Turnebus*, quem tamen *Cornutus* aliique de *toga* ejus *candida*, *Adoleſcentiæ* ejus *inſigni*, intelligi malunt. Nec ſane negandum, in re quoque *Veſtiaria*, ipſaque *toga*, ſuum fuiſſe, pro veterum ſermone, *umbonem*; eoque ſpectare poſſe, quod in *Saburra*, Urbe nempe *Romana*, *candidum* hunc *umbonem* accepiſſe dicitur Poëta. Sed & alia quoque, quæ & *Lipſii* erat, aliorumque Virorum Eruditiſſimorum, interpretatio ferri ſimiliter poteſt. Sic enim *Virgilius tyronem albâ Parmâ inglorium* cenſet, qui nullos conſecutus fuiſſet, qui

qui *Parmæ* inſcriberentur, *honores*. Poſtea vero, quum *Parmæ Clypeique* è *Metallo* conficerentur, tum non *inſcribi*, aut *pingi*, ſed *cœlari*, dicuntur *Clypeorum* inſignia. *Metalla* enim proprie *cœlari* docent *Grammatici* à *cœlo* vel *cœlione* inſtrumento *fabrili* quo *cœlatura* peragebatur. *Scutorum* autem opus *cœlatum* memorat Auctor Belli *Hiſpanici*, qui inter *Cæſaris* Commentarios locum habet, c. 25. Et *Silius Italicus* in Hiſtoria Belli *Hannibalici*. E *ſui* fortaſſe *Seculi* moribus de ſuperiori illo conjecturam faciens, quum *Parmas ligneas* recentiores fuiſſe probaverimus, ſaltem in militibus *gregariis*, ut viris nonnullis illuſtrioribus, de quibus ſcribit *Silius*, majoris *pretii*, operæque, atque *artificii*, *clypeos* fuiſſe concedamus. Erant tamen & in *gregariorum* militum *Parmis* tum quoque ſuæ partes *ferreæ*. Σιδηροῦν σάλωμα agnoſcit etiam *Polybius*. Et χαλκῆν λεπίδα *Plutarchus* inventam à *Camillo* tradit, *exteriori* Clypei *margini* circumductam, ne *Gallorum* gladiis cederent. Et *ferreum* etiam *umbonem Polybius*, σιδηροῦν κόγχον προσηρμόσθαι ſcribit, qua voce innuit, non *Clypei partem* fuiſſe, ne quidem *exteriorem*, quæ *Clypeo* fuerit *aptanda*, atque *extrinſecus* apponenda. De *Clypeo* tamen loquitur, eo in loco, Auctor, rei *Militaris* peritiſſimus, non de *Parma* proprie ſic dicta, quam à *Clypeo* diverſam fuiſſe, ipſe quoque exploratum habuit. *Umbones* autem in *Parmis* fuiſſe hæc tua quoque docet *Parma*. Utcunque tamen quum *Clypeo* etiam appenderetur *umbo*, nihil obſtat quo minus *lignea* fuerit *Parma*, qualis tua certe non eſt, cui *umbo ferreus* apponebatur. Imo ita rem fuiſſe vincit, quod *Clypeo* jam *facto* προσηρμόσθη, *Appendicis* loco, potius quam *Partis*. Erat autem *umbo* ille *ferreus* adſcititius in *Parmis* quoque *ligneis* plane neceſſarius, tam ad hoſtes de gradu *propellendos*, quam ad injectorum *ponderum* vim fortius ſuſtinendam, quam ad *ſpiculum*, quod è *Bucculæ* inflatæ, tanquam è Serpentis, *ore* quaſi *exſpui* videbatur, validius tenendum, ne *frangeretur*, vel *deflecteret*, quum in *hoſtem* imprimeretur. *Lamina* enim *ferrea* σάλωμα appellatur à *Polybio*. Huc etiam à *Lipſio* L. III. de Mil. Rom. Dialog. II. refertur *ſputum* Martialis: *Hoc linitur ſputo Jani cariota Kalendis*.

L. VIII.

L. VIII. Ep. 33. Quod scilicet *aureis lamellis* tenuissimis obduci mos erat *cariotas* strenarum loco missas, eodem teste *Martiali* L. XIII. Ep. 27. Ut scilicet, pro eodem exemplo, *lamellæ ferreæ sputa* fuerint appellanda, propter *Metalli tenuitatem*.

Clypeos vero è *Metallo integros* tum *initium* accepisse verisimillimum est, saltem in militibus *gregariis*, quum *Fabricæ Publicæ* instituerentur *Armorum*. Tales in utroque *Codice* legimus. His cedebant *Tributa* cujuscunque generis *Metallica*, *Ferri*, pariter atque *Æris*, & *Argenti*, atque *Auri*. Eo tamen discrimine, ut *Ferri* Tributum ad *Præfectos Prætoriorum* pertinuerit, reliquorum autem *Metallorum* ad *Comites Sacrarum Largitionum*, cui *Pecuniæ* Publicæ cura præcipue incumbebat, quæ quidem Pecunia è *pretiosioribus* illis conflabatur *Metallis*. Et *arma* quidem *ferrea fabricabant*, sub *Prætoriorum Præfectis*, qui communi *Fabricensium* nomine veniebant, his saltem *Christianorum* Principum temporibus; *poliebant* autem *ornabantque* qui proprio *Barbaricariorum* nomine appellabantur, *Ære*, *Argento*, atque *Auro*, à *Sacrarum Largitionum Comitibus*, illum in usum, accipiendis. Ita scilicet, ut *Ære* arma *ornanda tegerentur* (sic enim loquuntur Principum Rescripta) *Argento* autem atque *Auro* *Imagines* præcipue *Armorum* atque *insignia* effingerentur, in virorum *Principum Nobiliumque* armis, vel, quum nullum esset *insignium* Jus, quod in *tyronibus* locum habere vix potuit, ut *umbones* saltem *Auro* obducerentur, ut *Virgilius* docet *Æn*. X. *fulvi* propterea *Sidonio* L. IV. Ep. 20. *Orbes* vero, qui *exterioris* in tua Parma limbi vicem obtinebant, ipsi quoque, ut tuus est, *rotundi*, *nivei* *Sidonio*, *Argento*, ut videtur, vel *albedine*, ut in *Parmis inglоriis*. Ita nimirum assequebantur ut ipsi *terribiliores* viderentur, & hostium *oculos*, si *Solem* adversum haberent, perstringerent, quum *vastos umbo aureus ignes vomeret*, ut loquitur Poëtarum *Romanorum* princeps. Quem etiam in finem *Pyropos* memorat *Propertius*. *Cassides* autem & *Bucculas*, nempe *Clypeos*, ad horum curam spectasse docent, quæ *Publicorum Fabricensium* meminerunt,

11. Ars ornandi *Bucculas* *Auro* & *Argento* antiquior erat Prætoriano *Barbaricariorum* Collegio.

runt, *Leges*, tua certe *Parma* aliquanto recentiores. *Antea* tamen quam inſtituerentur in *præcipuis* Imperii *Romani Urbibus* hæc *Armorum fabricandorum* Collegia, erant nihilominus apud *Romanos* Duces qui *hoc* armorum cultu *militum* animos ad rem fortiter gerendam excitari poſſe cenſerent. *M.* enim *Brutus* operam dabat ut Militum arma, quam fieri poſſet, ornatiſſima haberet, in ea re *Triumviris* ſuperior, ut teſtatur in illius vita *Plutarchus*. Idem Auctor eſt *Auri* quoque *Argentique* uſum in illa fuiſſe cultura, nec in alia *Militia* fuiſſe frequentiorem illum cultum quam *Equeſtri*, idem teſtis eſt. Imo ἀργυρᾶς agnoſcit etiam θυρεὰς, qui ſi de *Parmis Equeſtribus* intelligantur, ad tuæ quoque *Parmæ* exemplum propius accedent. Et, ante *Brutum*, *Suetonii* de *Julio* verba ſunt: *Habebatque tam cultos* (de *militibus* loquitur) *ut Argento & Auro politis armis ornaret*. Imo primum *Argenti* uſum in *Armis* excolendis ponit *Juvenalis*. Id ſi verum, etiam in *armis* nondum è *Metallo* factis locum ornatus ille habuerit oportet. Et ſane in *ſcutis præfulgens opus cœlatum* memorat, ut vidimus, Auctor Belli *Hiſpanienſis* c. 25. *Cœlari* autem nec *coria* poterant, nec *ligna*, ſed tantummodo *Metalla*. Et *fulgor* ille vel *Argento* tribuendus erat, vel *Auro*, quo *Metallum* obducebatur, vel gemmæ *Pyropo*, quibus hoſtium oculi perſtringendi erant. Itaque veriſimile eſt, in illorum quoque *Clypeorum* ſaltem *umbonibus* fuiſſe *Metalla*, ut jam antea obſervatum eſt. Imo *Equites Romanos Argento prope tectos* idem teſtatur ad *Cæſarem* transfugiſſe c. 26. Ut in *Equitibus* ornatum illum præcipue obſervatum intelligamus. Niſi forte *Julio Celſo* illa, potius quam coævis Auctoribus, *Hirtio* aut *Oppio*, tribuenda ſint. Quæ tamen *arma* ornari ſolebant, exinde diſcimus, quod *tegumentis* illa, præterquam in *pompis prœliiſque*, ab *aëris* injuriis tuerentur, non alia certe de cauſſa, quam ne vitiaretur ornatus. Sed de περικεφαλαίαις (ſeu *Galeæ* illæ, vel *Caſſides*, fuerint) & *Clypeis* illam fuiſſe ſollicitudinem docet *Plutarchus* in *Lucullo*. Ibi enim pro certiſſimo *prœlii* futuri Argumento habetur, quod *nudatos* geſſerint *Romani Clypeos*, *capitumque* (quæcunque demum illæ

fuerint)

fuerint) *armaturas*, quum moverent in *Tigranem*. Hinc etiam certo constat, rectius *Bucculas*, quæ à *Barbaricariis* postea *Argento* atque *Auro* ornabantur, ad *Clypeos* retulisse præstantissimum *Cangium*, quam ad *Cassidum visoria*. Erant ergo, inter *Fabros Castrenses Armorum* ornandorum *Artifices*, etiam sub *Julio Cæsare* & *Bruto*; non, ut postea, *Civitati* alicui *primariæ*, & *Metropolitanæ*, proprii, quæ *Præfecturæ Prætorianæ* sedes fuerit. Imo pro *novo Julii invento* videtur habuisse *Suetonius*. Fieri potest ut eum pro primo hujus moris, apud posteros retenti, *Auctore* habuerit. De *armis* autem *Ære tegendis*, quod postea factum, ne verbum quidem, in hujus *Seculi*, quod quidem meminerim, Auctoribus. Dum propriis quidem, pro *census* ratione, stipendiis, arma Reipublicæ suppeditabant, alia aliis & *plura*, & *pretii* etiam *gravioris*, ut quisque oneri ferundo par à *Consitoribus*, seu *Regibus*, seu *Consulibus* judicabatur, antea quam *Censorum* Ordinarius Magistratus in Rempublicam inveheretur. Ita nimirum ut *Clypeos æneos* conferre tenerentur *primæ Classis* cives. Non item quum *stipendia* ex *Ærario* acciperent, & *arma* è *Capitolii armamentario*, Bello finito, in eodem Capitolii armamentario reponenda. Tum *raro* admodum, & *fere* legimus, *arma* gregariorum Militum *ænea*. Et tamen talia fuisse verisimillimum est, quæ *Ære tecta*, non *ornata*, memorantur in Legibus de *Fabricensibus*. Ut scilicet non *addititium*, ut ante, *umbonem æneum* habuerint, sed *Clypeos totos Ære tectos*. Ita certe rem fuisse ostendit usus vocis *tegere* qua τῷ *ornari* opponitur. Docet enim, quod, quum antea *umbo* tantummodo *Metallicus* fuisset, & paucæ quædam in Clypeorum *orâ* laminæ, jam deinceps *tota* Clypei superficies *exterior*, uti etiam *Cassidis*, Metallo obducenda esset, ut ex *uno* constaret *Metallo*. Non tamen obstat *tuæ Parmæ* insigne *Artificium* quo minus Artifex *antiquior* fuerit *Publicis Fabricensium Collegiis*, dum penes *privatos* Exercituum *Duces*, & penes *Legiones* essent etiam *Armorum Fabri*, qui non *fabricandorum* duntaxat *armorum*, verumetiam *decorandorum*, ut loquuntur *Leges*, potestatem habebant, ut scilicet *militibus*, pro suo cujusque

D 2 *merito*,

merito, pro *Ducis* privati *arbitrio*, præmii loco distribuerentur, ut *hastæ* olim *puræ*, ut *vexilla*, ut *torques*, ut *armillæ*, variique generis *coronæ*. Imo *integris*, si ita videretur, *turmis* vel *cohortibus*. Tuam autem *Parmam* non *Equitis*, nedum *velitis* fuisse *privati*, è *pretio artificioque* constat. Imo magis ex *Historia*, quæ ad gentis *Furiæ*, *Patriciæ* gloriam spectabat. Potuit ergo *possessor* ejus adeo *nobilis*, ipse *Dux exercitus* fuisse, & *Legionariorum Fabricensium* opera in suos privatos usus fecisse. Potuit vicissim è *Publico Fabricensium Collegio*, honoris ergô, à *Principis* tum rerum potientis munificentia accepisse. Ut proinde non sit facile, è receptis *Seculi Parmis*, de hujus *Parmæ ætate* pronunciare.

12. *Cassides Metallicæ Auro Argentoque* excultæ à temporibus *Julii Cæsaris* in Militia *Equestri* receptæ; & *Bucculæ* quæ illis responderint, proinde, ut videtur, *Metallicæ*, ante *Juvenalem*. In *Militia* autem *Pedestri Galeæ* non *Metallicæ*, usque ad Imperium *Gratiani*, apud *Romanos*.

Barbaricariorum certe, qui *Parmam* tuam *ornare* possent, in proximis *Neroni* temporibus ne quidem *nomen* legimus. Nec de *ætate* constat qua *Armorum Fabricas singulis Legionibus* ademerit Imperator, suoque *Prætorio* proprias fecerit. Imo *Barbaricariorum Collegium recentius* fuisse verisimillimum est, nec primo *Buccularum Metallicarum* usui coævum. *Scutis*, utique *coriaceis*, *Bucculas* assignat *Livius*, nec *Cassidibus* opponit (ut in recentiori *Fabricensium Collegio* factum) sed tantummodo *Galeis*. Quod quidem ab eo temere factum non est, sed pro *temporis* ratione, quo vixit *Æmilius Paullus*. Hoc enim discrepabant invicem *Cassides* atque *Galeæ*, quod è *coriis Galeæ*, è *Metallis* autem fieri solerent *Cassides*. Isidori Hispalensis verba sunt: *Cassis de lamina est: Galea de corio. Nam Galeros corium dicitur. Cassidem autem à Tuscis nominatam dicunt. Illi enim Galeam Cassim nominant: Credo à capite*. Etym. L. XVIII. c. 14. Et solum *coria* fuisse, unde & nomen habuerint *Galearum*, ab aliis observatum est, quod primâ *Galearum* apud *Romanos* origine factum, incredibile non est. Ex *aliorum* tamen *Animalium pellibus* postea constitisse, veterum testimonia sunt. De *Casside* suffragatur *recentior* alius Glossator penes Cl. *Hearnium*, in eo tamen *Isidoro* plenior, quod *materiam Cassidis* faciat *Chalybeam*, de

sui

sui Seculi *Cassidibus*, ut videtur, intelligendus. Neque vero *precariam* hanc esse distinctionem, & à *recentioribus* imperitioribusque *Grammaticis* inventam, ostendit *Tacitus*. Ita de Germanorum armis ille: *Vix uni alterive Cassis aut Galea*, de morib. *Germ.* c. 6. Dum ergo in usu essent *coriaceæ* tantummodo *Galeæ*, *Scutorum Bucculas* similiter *coriaceas* fuisse consentaneum erat. Atque ita rem fuisse ex ipso *Scutorum* nomine, quo *Livius* usus est, non absurde colligimus exceptis saltem forsitan *umbonibus*. Longe autem aliter *Juvenalis fracta de Casside Bucculam pendentem* inter *spolia Triumphalia ab hostibus* reportata refert Sat. X. Ad eundem plane modum quo & *Leges* de *Fabricensibus*, sub *recentioribus Imperatoribus*, & quo in veterum monumentorum *Tropæis* repræsentantur. Hæc ille, qui sub *Hadriano* scripsit, ut in *Annalibus Quinctilianeis* ostendimus. Inde colligimus, ut *Cassidum* usus *Metallicarum* sub *Hadriano* receptus est, ita & *Bucculas*, quæ illis *Cassidibus* responderint, *tum* quoque fuisse receptas, similiter utique *Metallicas*. Et quidem *Bucculas*, qua *integros* designant *Clypeos*, non *Umbones* tantummodo, quos tamen pro *integris* Clypeis similiter usurpari jam antea observavimus. Eodem facit, quod quanquam nullos, ea *ætate*, legamus *Barbaricarios*, *Publica* tamen *Armamentaria* legámus antiquiora *Hadriano*. *Q. Naevium Marinum Militem, ex Armamentario Imp. Caesaris Domitiani Aug. Germanici Cassidarium, qui vixerit ann.* XXXX. exhibet Inscriptio *Reinesiana* Cl. VIII. 70. *Cassidarium* scilicet, non *Galearium*. Ut intelligamus *Cassidum Metallicarum* curam penes *illum* fuisse, quales procurabant sequiorum temporum *Fabricenses Publici*. *Miles* proinde fuerit oportet, eo *sensu*, quo *Palatina Militia* Officiis *Palatinis* attribuitur, quæ *Militiæ* opponitur *Armatæ*. Siqui autem, eo quoque *Seculo*, fuissent *Barbaricarii*, sic *Miles* ex *Armamentario Cassidarius* appellari forte potuit, qui *Præmii* loco *Cassidem Barbaricariorum* arte *politam* à *Principe* acceperat. Poterat autem, sine *Barbaricariis* nondum institutis, *Argento* & *Auro Milites* suos *ornatis* Armis donare Imperator, ut *Julium* vidimus donasse atque *Brutum*. Sed

Cassidem

Caſsidem ſine *Buccula* collaturum *Principem* credibile non eſt, quæ ſemper *pari* numero invicem conveniebant in *Legibus* de *Fabricenſibus*. Junguntur que invicem à *Juvenali*, qui illo ipſo vixit Seculo *Domitiani*. Itaque libentius *Operarium* hunc fuiſſe *Militem* crediderim in *Armamentario*, quam *dono* cultum Operariorum arte ornato. *Armamentarium* certe ante *Domitianum*, *Romæ* memorat *Tacitus*. Hiſt. I. 38. 80. Imo *antiquis* admodum *Reipublicæ* temporibus *arma*, Bellis finitis, in *Capitolium* illata docet *Dionyſius Halicarnaſſæus*. *Caſsides* autem *Julii* quoque *Cæſaris* temporibus obtinebant apud *Romanos* in Militia *Legionaria Equeſtri*. *Veterano* Legionario *Labienus* ipſe *equo* inſidens *tyrocinium* exprobrat. *Equiti* proinde, ut videtur, & propterea pro *tyrone* habito, quod inter *Equites* mereret *Adoleſcentes*, qui tamen *Veteranos* Ordinum *ductores* habebant, quales in hac tua quoque *Parma* vides, *Barbatos*. Quid ad hæc Veteranus? *Caſsidem*, inquit Auctor, *de capite dejecit, ut cognoſci ab eo* [Labieno] *poſſet*; *atque ita pilum viribus contortum, dum in Labienum mittere contendit, equi graviter adverſo pectori affixit, & ait: Labiene, Decumanum militem, qui te petit, ſcito eſſe*. Caſſidem dejecit, ut de *ætate* ſtipendiorumque *numero* manifeſtius conſtaret. Et *pilo* potius *miſsili* quam *lancea*, uſus eſt, quod *extra* ordinem injuſſu Imperatoris, excurrere non licebat. Ita *Pacidium* [Cæſarianum] *graviter pilo per caſſidem caput ictum* in eodem Bello *Africano* legimus c. 78. *Equitum* autem *proprias* tum fuiſſe *Caſſides* docent verba illa *Cæſaris* ipſius: *Mulioneſque cum Caſſidibus, Equitum ſpecie ac ſimulatione, collibus circumduci jubet*. Bell. *Gallic*. L. VII. c. 45. *Galeas* in *reliqua* Militia *Romana* tum quoque obtinuiſſe, ex iiſdem diſcimus *Auctoribus* eorundemque *Bellorum* Hiſtoriis. Ita *Cæſar* ipſe de ſuis militibus *Legionariis*: *Temporis tanta fuit exiguitas, hoſtiumque tam paratus ad dimicandum animus, ut, non modo ad inſignia accommodanda, ſed etiam ad Galeas induendas, ſcutiſque tegmenta detrahenda, tempus defuerit*. Bell. *Gall*. L. II. c. 21. Recte hîc cum *ſcutis Galeas* jungi videmus, ut apud *Livium*.

Cæſ. de Bell. *Afric*. c. 16.

Scuta

Scuta enim *Pedestris* erant armaturæ, nec, ut ex *voce* ipsa constat, *Metallica.* Sic de *Pompeianis*, similiter utique *Legionariis* : *tegmenta Galeis milites ex viminibus facere, atque aggerem comportare jubet.* Bell. *Civ.* L. III. c. 61. Et postea: *Multum autem ab ictu lapidum, quod unum nostris erat telum, viminea tegmenta Galeis imposita defendebant.* c. 63. Iterum: *Milites jubet Galeari, & ad pugnam parari, quorum omnino numerus fuit* xxx. *cohortium.* de Bell. *Afric.* c. 12. Hi certe *Milites Pedestres* erant, quos mox opponit *Equitibus* & *Sagittariis.* Sic item *Tacitus*, quo loco *confusionem* describit aperti, sub *Othonis* initium, Armamentarii: *Rapta statim arma, sine more & ordine Militiæ, ut Prætorianus, aut Legionarius insignibus suis distingueretur. Miscentur Auxiliaribus, Galeis Scutisque.* Hist. L. I. c. 38. Hinc intelligimus, tum quoque *Scutis* conjunctas fuisse *Galeas*, & quidem *utraque* omnium Ordinum copiis *pedestribus* fuisse *communia.* Sic juniorum *Bucculæ*, quæ nunquam aliæ quam *Metallicæ*, quæ *Cassidibus*, non *Galeis*, etiam in *Juvenali* opponuntur, *Equitum* propriæ fuerint oportet, ejusdemque, cujus & *Cassides*, quarum usus apud *Equites* antiquissimus erat, materiæ, nempe *Metallicæ. Galearum* enim usum & *Scutorum* in Auctoribus tua *Parma* junioribus *Historiæ Augustæ* legimus. Etiam in eadem *Militia Pedestri.* Ad *Gratiani* Imperium pertigisse docet *Vegetius* L. I. c. 20. Ne necesse sit *mediorum* Seculorum testimonia congerere. Nec redditas postea *pedestribus Cataphractas* aut *Galeas* ostendit. Mentio quidem ibidem occurrit medio loco *Cassidum*, quæ videri posset *importuna* nisi *MSS.* tam *Stewechii* quam *Steuartii* fulciretur. Inde conjectura non importuna *Stewechii* in præcedentibus pro *utique* potius legendum *utrique*, ut de *utraque Militia*, tam *Equestri* quam *Pedestri*, sermo fuerit hoc in loco *Vegetio.* Observaverat Auctor, labente majorum Disciplina, *gravem* Militibus visam à majoribus acceptam *armaturam.* Sequitur: *Itaque ab Imperatoribus postulant, primo Cataphractas, deinde Cassides deponere.* Lacunam fuisse suspicor, ita supplendam [*denique & Galeas*] *deponere.*

ponere. Erat quidem *Cataphracta*, seu *Lorica*, utrique *Militiæ* communis. Inde postea observavit Auctor nemini curæ fuisse, *vel Cataphractas*, vel *Galeas pedestribus reddere*. Quo loco, ni fallor, innuit, *Cassides Equestribus* redditas, quum tamen *Galeas Pedestribus* nemo usque ad tempora *Vegetii* reddidisset. Idque de *Cassidibus* verum fuisse docent non tantum *Leges* de *Fabricensibus* & *Sidonius*, verum etiam antiquior *Vegetio Trebellius Pollio*, qui inter *dona*, à *Valeriano Aureliano* collata, *Cassidem* recenset *inauratam*. E *Romano* scilicet *Armamentario* in quo & *Cassidarios* fuisse jam ostendimus. Poterat ergo *Parma* illa tua *cultum* illum, quem observasti, *Aurarium* sibi comparare, vel in *Armamentario* Principum *Romano*, vel in *castris* quibus præfuerit aliquis è stirpe *Camilli* Dux, sine *Barbaricariis*. Imo *antea* quam *ortum* haberet *Palatinum* illud Officium *Barbaricariorum*.

13. *Barbaricariorum*, qui *armorum cultui* vacabant, origo. *Initium* fortasse sub *Constantio*.

Barbaricariorum certe ornatum à *Militibus limitaneis* in Romanorum Fabricensium usum publicum emanasse verisimillimum est. Hos *Ducianos* appellat, & *Barbaricis excursionibus* oppositos fuisse docet Novella *Theodosii* junioris XLIII. Inde satis commode *nomen* ipsis adhæserit *Barbaricensium*. *Duciani* autem propterea appellati sunt, quod *Ducibus* paruerint *proprie* ita dictis, qui *limitum* proprii erant. Hos *agris* ab *hoste* captis donavit *Alexander Severus*. Post *triumphum*, ut videtur, de *Persis*. Inde obiter Argumentum habemus *victoriæ* cui adeo maligne detrahit *Herodianus*. Inde & caussam discimus *Pacis* quæ secuta est, à *Persis diutinæ*, quam ne quidem inficiatur lividus Sophista. Nempe propter *limitaneorum præsidiorum* Disciplinam ab eodem *Principe* constitutam, unde factum ut ne quidem *ansa* unquam præberetur hostium irruptionibus, invigilantibus in sui patrimonii tutelam colonis. Eosdem *Juribus* multis firmabant secuti *Imperatores*, ne unquam à *limitibus* avocarentur. Ita factum, ut in *Pace* quoque præsidiis *limitaneis* addicti, nec *Bello* ullo imminente, (cui tamen illos perpetuo paratos esse oportebat) *Pacis*, inquam, tempore, præter rem *Agrariam*, nihil aliud, in quo occuparentur, haberent, præterquam

terquam *Exercitia Militaria*, *Armorumque cultum*. Inde ad *Fabricas* Principum *Publicas*, quum *cultus Armorum* peritissimi haberentur, translati Artifices, *Barbaricariorum* nomine recte appellandi erant. Ut enim *Barbaricæ* ditiones omnes aliæ, quæ *Romanos* Imperatores Dominos non agnoscebant, apud *Romanos* Scriptores habentur; ita nulli magis quam qui inter *Romanos* Romanorumque *æmulos* potentissimos intercederent, *Parthos* primum, deinde *Persas*. Hæc ergo jure quodam *proprio* simpliciterque *Barbarica*, assumptique ex hujus *Barbaricæ prætenturis*, eodem quoque *singulari* jure *Barbaricarii*. Cœpit ergo sub *Alexandro Severo* accuratior illa harum *prætenturarum Orientalium* cura, quæ otium fecerit, *armis poliendis* insumendum. Nec tamen *protenus* inclaruit horum *colonorum* peritia ut ad Urbes alias *insigniores* Artis hujus callentissimi inde transferrentur. De *Barbaricariis* Leges *antiquissimæ* Principum sunt *Orientalium* quibus hæ parebant ad *Orientem* prætenturæ. Nec *Orientalium* Imperatorum quenquam habemus antiquiorem *Valente* qui præceperit de *Barbaricariis*. Sed nec ille *Barbaricariorum* stationes alias agnoscit præterquam *Constantinopoli* & *Antiochiæ*. Vix puto *Nicomediam* omissurus, si, quum *Diocletianus* Prætorium Augusteum *Nicomediæ* teneret, ulli tunc fuissent, inter Officia Prætoriana, *Barbaricarii*. Quid si *tum* institutum fuerit hoc Collegium, quum & *Augusteum Prætorium Constantius Constantinopoli*, & *Cæsareum Gallus Antiochiæ*? Tempus ego magis idoneum, quo fieri id potuerit, nullum plane reperio. Meminit quidem *Barbaricariorum Notitia* in *Imperio* etiam *Occidentali*, Sect. LVI, LVII, LIX. Sed in partibus *Orienti* proximis, quæque *Orientali Augusto* paruerint, saltem ipsi *Constantio*, qui nova *Barbaricariorum* Collegia in *Occidente* constituere potuit, utilem eorum operam antea expertus in *Oriente*.

14. *Equites Romani gregarii* omnes, ut hic repræsentantur, *imberbes*, præ *ætate*.

Ceterum *imberbes Equitum* vultus advertit amplissimus *Cuperus*, eoque trahit locum *Plinii*, de *anno* quo primi *tonsores Romam* allati sunt. Sed *temporis* nullius certi notam illa suppeditat observatio. Poterat enim idem, si *Parmam* attentius

tentius lustrasset, vultus *Equitum* alios observasse satis *barbatos*. Inde licuit intelligere, nulla *affectatione*, nec eo quod *tonsoribus* carerent, *imberbes* fuisse reliquos. Imo *ætati* imputandum erat nondum *maturitatem* illam assecutæ quæ *barbæ* procurandæ esset idonea. *Polybius* L. VI. δευτέραν ἡλικίαν tribuit *Equitibus*, quæ nempe *prima* erat Catalogi *Militaris*. Ejusdem enim *ætatis Milites*, per *quinquennia* aut *decennia* distributi, simul militabant apud *Græcos*, ut *Juniorum Seniorumque* centurias invicem contulerunt *Romani*. Et *Juniorum* præsertim ordines, quum conscriberentur, *Pubes* & *Juventus* apud Scriptores *Romanos* passim audit, quæ ἥβη apud *Græcos*. Inde Ara *Juventæ*, quum ne *Jovis* quidem *Capitolini* Templo cederet, pro bono *omine* interpretabantur *Augures*, quo significaretur nunquam Reipublicæ defuturam, qua copiæ *Militares* complerentur, *Juventutem*. Est enim *Ætas* illi *Pueritiæ* proxima, quæ *majores* pariter ac *minores Pueros* complectebatur, nec *investes* tantummodo, verumetiam *vesticipes*. Ita *Pubertas* illa, quæ *Militiæ* idonea habebatur, non immatura intelligenda est, quæ à *toga Virili* & XIV°. *Ætatis* anno inibat, sed de ea quæ *plena* appellabatur, quæ anni erat *Ætatis* XVIII. ut ostendimus in *Annalibus* nostris *Quinctilianeis*. Hac enim *Ætate* in *Equestrem* statum allegendos suadet *Mæcenas* celeberrima illa apud *Dionem* L. LII. Oratione, quæ constitutæ ab *Augusto* Reipublicæ norma habetur. Inde inter *primos Cæsareorum Principum* honores locum habebat ille, quo *Principes Juventutis* appellabantur. Quæ vero fuerit *Juventus* illa cujus *Principes* habebantur, è *nummis Neronis* & *Commodi* facile colligimus ab *Equestri* Ordine in honorem illius cusis qui *Principis Juventutis* titulo designabatur. *Suum* nimirum *Principem* agnoscunt qui *Juventutis* Princeps erat. *Juvenes* proinde etiam *ipsi*, ut in eodem cum *Principe Juventutis* ordine recte censeri possent. Hoc tamen *discrimine*, quod *maturior* fuerit *Juventutis* in *Juventutis Principe* limes quam in *Juvenibus gregariis*. Expleta enim *Pueritia*, & *Pubertus prima*, quæ cum *Virili toga* anno *Ætatis* XIV°. expleto sumenda absolvebatur, satis erat, ut quis

Cæsar

Cæsar Imperii Candidatus *Principis Juventutis* titulo cohoneſtaretur,quum tamen ad *privatum Equitem Ætas* quadriennio major exigeretur. Pro eodem ſcilicet exemplo quo *Cæſaribus* indultum legimus, ut *quinquennio* citius, quam per *Leges* licuit, peterent etiam *Conſulatus*. Hanc autem ætatem *imberbem* fuiſſe, etiam in illis, qui *tonſorum* opera utebantur, ſimiliter conſtat. *Barbam* enim *primam* Diis etiam conſecrare ſolebant Viri *Principes*, *Ponendæque* ſolennitas, quanta per facultates licebat, erat etiam apud *privatos*, invitatis etiam ad convivium Amicis. *Ætatemque*, qua poni frequentiſſime ſolebat, in *tertii ſeptennii fine*, Ætatis nimirum anno XXI°. ſtatuit *Macrobius*. Sed *gravem* in ſe *Juvene Barbam* agnoſcit *Juvenalis*. Qua ſcilicet non ſoli *lanugini* opponitur, ſed *levi* etiam *Barbæ*, quæ *Barbato*, ut tonderetur, nullam prorſus *moleſtiam* creabat. Hæc aliquatenus *affectam Barbæ ætatem* arguit, quæ tamen fuerit intra *Juventutis* limites coercenda. Hæc *Juventutis* à *prima Barba* paullo *remotioris* nota eſt. Quum ſcilicet *conſuetudinis* potius, quam *ponderis*, cauſſa *Barbam gravem* exiſtimamus, propter inolitam *tondendi* conſuetudinem. Ita multi fluxerint ab *initio* Militiæ *Equeſtris* anni, antea quam *Barbarum* ulla prorſus ſignificatio in *vultu* proderetur, ab anno *Tyrocinii* XVIII. ad *primam Barbam* Ætatis ejuſdem annum XXI.integrum *triennium*, tum & alii aliquot anni, dum *pili* novi *duritiem* illam *coloremque* contraherent quibus à *lanugine* facile internoſcerentur. Secundam hanc, quam *Polybius* appellat, *ætatem* ad annum XXX^{m}. extendit *Varro* apud *Cenſorin.* c. 14. quæ etiam *Adoleſcentia* à *Varrone* cenſetur, qua quidem *Adoleſcentia* ut *minor* à *Juventute* propriiſſime ſic dicta, quæ ab *Adoleſcentiæ*, quam includit, *fine* ortum habet, diſtinguenda eſt. Nempe de *Adoleſcentia* in cenſu *Romano* intelligendus, utpote *Romanus*,rerumque *Romanarum* peritiſſimus. Hæc erat, ni fallor, *Ætas*, qua inter *Equites* merebant *Adoleſcentes*, inde, ni fallor, ad Legionarios transferendi. Hoc voluit, ut opinor, *Veteranus* ille *Legionis* X. *Cæſarianus*, cui *Caſſide Equeſtri* tecto *tyrocinium* exprobraverat *Labienus*. Dejecta *caſſide* tricen-

nario *majorem* se probavit è *vultu barbato*, Ætateque *majori* quam quæ in *Equitem* posset convenire *gregarium*. Sic erit hæc *Varronis Adolescentia* prorsus eadem cum ea quæ *Juventas* propriissime sic dicta censebatur paucis à *Varrone* annis. Nam *Juventutem* à *toga Virili* anno, ut dixi, XIV°. expleto ordiuntur *Cæsares*, *Principesque Juventutis* sæpissime appellantur. *Tricennario* autem *majores* nondum amplius *Principes Juventutis* audiunt, sed *Tribunitiam Potestatem* capessunt, si quidem ita *primario* videretur *Augusto*. Annum certe illum *superare* non potuisse qui in *Militia Equestri gregaria* merebant, vel è *Tyrocinii Equestris* exercitiis à *Vegetio* ex optimis *Militiæ Romanæ* florentis descriptoribus collectis, facile colligimus. *Equi*, inquit, *lignei hyeme sub tectis, æstate ponebantur in campo. Super hos juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, deinde armati cogebantur ascendere. Tantaque cura erat ut non solum à dextris sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Hoc enim continua meditatione faciebant, scilicet ut in tumultu prœlii sine mora ascenderent qui tam studiose exercebantur in Pace.* L. I. c. 18. *Hanc salitionem* (sic appellat) *equorum districte semper exactam fuisse* docet. Imo illius *usum* ad *suam* usque *Ætatem* (quæ *quarti* erat *Seculi*) licet cum *dissimulatione* pervenisse. Ne dubitemus, quum *tuus* viveret Artifex, observatam. Quæ certe à majoribus *tricennario* ægre, si vel ægre tolerari vix poterant, propter *rigorem* illum membrorum qui *Senectutem* etiam *viridem*, quam appellabant, comitatur. Sic ipse alibi *Vegetius* hortatur ne *diutius* differantur illa *Tyronum* exercitia. *Militaris* (inquit) *alacritas, saltus & cursus ante tentandus est quam corpus ætate pigrescat.* L. I. c. 4. Ita rem fuisse in *gregariis Equitibus*, pro *veteri Disciplina*, certum est. *Turmarum* autem *ductores*, Ἰλάρχας, ex aliis *provectioris ætatis* Militum ordinibus designari solitos agnoscit etiam *Polybius*. Inde *Equites* illi *Barbati*, quos reliquis *immistos* in tua quoque videmus *Parma*. Maxime in parte ejus illa quæ *Romanis* assignatur.

Barbatum

Barbatum trutinæ, qua *aurum* pendebatur, proximum, *Equestrem* ipsum *Dictatorem* fuisse verisimillimum est, *Camillum*. Non equidem, quod ulli fuerint coævi *Camillo Pictores* qui *veram* ejus *effigiem* posteris tradere potuerint, quum artem, qua ad *vivum* repræsentabant *cœlatores*, apud *Romanos* multo *nuperiorem* jam fuisse probaverimus. *Finxit* ergo Artifex, quum non haberet quod imitaretur, *Camillum* vultu senili, & proinde *Barbatum*. Nec absurde, quum illum *Ardeæ consenuisse*, quum ad *Dictaturam* illam, qua *Gallos* Urbe expulit, promoveretur, testetur *Livius* L. V. c. 44. Eumque post annum *receptæ Urbis* XXV. exstinctum, quam *matura*, tam *acerba*, morte obiisse dicit. L. VII. c. 1. *Matura* mors ea est, quæ per *Ætatis* legem exspectari potuit. Ὡραῖαν appellat *Plutarchus*. Metaphora utrobique ab *Arborum fructibus* petita est, qui, quum *maturi* sunt, sponte *sua*, nec ulla *vi* adhibita ex arboribus decidunt; dum vero *nondum aciditatem*, expleta *maturandi* tempestate, exuerint, *vim* exigunt ut ex arboribus divellantur. Ita *præcox* funus *acerbum* dixit *Statius*. Hoc ergo volebat *Livius*, quanquam ea fuerit *Camilli ætas* ut *mors* ejus *præter* exspectationem accidere non potuerit; ita tamen eam, præ civium *amore*, deploratam, quasi *nondum* legitimum communemque vitæ limitem explevisset. *Decori* rationem similiter non improbabilem secutus est *Clypei Sponiani* artifex, quum *Scipionem*, qui postea *Africanus* erat *major*, *imberbem* exhibet, eo *anno* quo formosam *captivam* sponso reddidit. Eo tamen anno *Ætatis* annum agebat XXV. qui *superiori*, quo Expeditionem *Hispanicam* susciperet, *quatuor & viginti ferme annorum natus* fuerat. *Liv.* L. XXVI. c. 18. Inde quoque manifestum est ad *annum* saltem XXV. pertigisse *imberbem* illam, seu *Juventutem*, seu *Adolescentiam*, quam *Militiæ Equestri* assignatam jam probavimus. Sunt enim, in eodem quoque Clypeo *Sponiano*, satellites *Scipionis* satis *Barbati*. Ut proinde *Ætas Scipionis* in *caussa* fuerit cur ipse effingeretur *imberbis*. Convenit cum *Clypeo* illo tua quoque *Gemma*, quam

15. Sunt & in *Parma* Equites *Barbati*. Quorum è numero primus ipse est *Camillus* Dictator cum *Dictatoriæ Majestatis* insignibus. Satelles illius est, non autem *Sulpicius Tribunus Consularis*, qui *pedes*, casside tamen *armatus*, minantique similis, *Dictatoris mandata Brenno* refert.

quam *clypeo* adjunxit, suis ad *Livium* Notis, noster *Hearnius*, quæ etiam ipsa *Scipionem* exhibet similiter *imberbem*. Sunt autem & alia in *Camillo* (qualis in tua effingitur *Parma*) *Equitis* plusquam *vulgaris* insignia. *Hasta* imprimis illa sine *flammeo*, summo, ut videtur, *Imperatori* (qualis apud *Romanos* fuit certe *Dictator*) propria. Ita certe res habuerit oportet in eo qui *solam* tenebat *hastam*, armis aliis nullis, quibus hosti nocere posset, instructus. Nec enim *armis* onerandus erat, qui exercitus *universi* curam in se habebat, ut quacunque *parte* laboraret, occurreret, *motui* proinde, quam *pugnæ*, expeditior, cujus proprium erat munus, non tam pugnare *ipse*, quam pugnantibus de *loco* pugnæ, & *tempore* opportuno *præcipere*, quique habebat tot *armatos* in promptu *satellites*, si aliis in hostem *armis* fuisset opus. Nec sane alia legimus *summorum Principum* insignia, præterquam domi *sceptra*, militiæ *hastas*. *Hastâ* signum dedit *Josue* de Urbe ab *insidiatoribus* occupanda. Et *Saulis* Regis *hastam* ad *caput* dormientis reperit *David*, 1 *Sam.*XXVI. 11,12, 16, 22. Et incumbentem super *hastam Saulem* se invenisse refert qui se pro illius percussore venditabat *Amalechita*, 2 *Sam.* I. 6. Et *hastam* tenent in manu armatæ *Palladis* simulacra. Uti etiam *Imperatores* nummis in *victoriæ* memoriam cusis. Inde *hasta inaurata* usus fuisse dicitur *Maximinus* junior. *Capitolin.* in vit. c. 3. Uti *Principe* dignissima. Et *lanceæ*, quæ cum hastis eædem erant, *lauro* coronari solitæ, ut vult *Salmasius* in *Lamprid.* vit. *Alexandri Severi.* c. 58. Tanquam *Auspicii Imperatorii* Symbola. *Pila* certe *lauro* coronari solebant. Et *pilum Crastini* Centurionis *lanceam* appellat *Lucanus*. Et *hastarum missilium* ambitu *Pila* continebantur. Idemque usus erat *Pili*, *Hastæ* & *Conti* apud *recentiores*, in *capitibus* cæsorum *hostium* publico ostentandis. Et *Crista Cassidis*, seu *apex Cassidi* impositus, ad *Equitum* distinctionem faciebat. Ita subita *Nerviorum* incursione, confusionem exercitus sui describit loco jam supra allato Cæsar : *ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas . . . tempus defuerit.* Bell. *Gall.* L. II. c. 21. Frustra hæc ad alia, quam *galearum*,

rum,insignia retulit *Rhellicanus.* Rectius *Lipsius* Analect. ad L. III. Mil.Rom. Dialog. II. referenda potius ad *galeas* existimavit. *Cristæ* enim *conis*, qui Græcis φάλοι, innectebantur, ut ex *Eustathio* & *Glossis veteribus* ostendit prædicto lib. Dial.V. *Lipsius.* Verba enim *non modo*, &, *sed etiam*, ita partes ejusdem sententiæ invicem nectunt, ut accommodatio illa, cujus meminit pars sententiæ *prior*, alio quam ad *galeas* in parte sententiæ *posteriori*, referri ne quidem commode potuerit. Ita factum ut ad *prima quæque signa, ut occurrebant, miles constiterit, ne in quærendo suos, pugnandi tempus dimitteret.* Post *signa* enim *inventa* supererat labor *Tribunos Centurionesque* proprios distinguendi, moræ *majoris* quam ferebat res agenda, *nondum* accommodatis *galearum apicibus.* Proinde necesse habebat *Cæsar tegere* suorum *insignia*, L. VII. c. 45. quum *hostes latere* vellet quem quisque *locum* in exercitu tenuerit. *Signis militaribus* opponuntur hæc *insignia*, de *cassidum* proinde *insignibus* commodissime intelligenda. *Tegi* enim illa *insignia* recte dici poterat, *non repositis*, quæ antea *induerant*, *tegumentis*, ut in re gerenda morem apud *Romanos* fuisse docet *Plutarchus* in *Lucullo*, ut scilicet *nudatis* tegumento galeis in hostes progrederentur. *Similis* plane *confusionis* exemplum sub *Othone* refert Tacitus: *Rapta statim*, inquit, *arma*, *sine more & ordine Militiæ, ut Prætorianus, aut Legionarius insignibus suis distingueretur. Miscentur auxiliaribus galeis scutisque.* Hist. L. I. c. 38. Hinc manifestum est in *galeis* etiam fuisse *insignia* quibus, *Cæsaris* etiam ætate, *Romani* saltem fuerint ab *Auxiliaribus* internoscendi, nondum constitutis *Prætorianis.* Sed & *militum Legionariorum* discrimen erat in illis *Cassidum insignibus. Plebeiam cassidem Bruto*, dum *ignotus* hosti esse cuperet, tribuit *Lucanus* L. VIII. Et quidem *Plebeiæ cassidis*, quæ nullos habebat *apices*, in tua *Parma* exemplum habemus. Sic item *Vegetius* de Centurionibus: *habebant galeas ferreas, transversis & argentatis cristis, ut facilius agnoscerentur.* L. II. c. 16. Nec potuit hæc de sui temporis *Militari Disciplina* asserere *Vegetius*, ut arbitrabatur *Lipsius*, quum sub *Gratiano cataphractarum galearumque*

&

& *cassidum* usum sublatum, imo ne quidem postea *redditum*, idem testis sit *Vegetius* L. I. c. 20. Itaque ad *antiquiora* tempora referendum est, quum *galeæ ferreæ*, seu *Cassides*, ita *Equitum* propriæ essent, ut *galea* ex eodem *Metallo* cum *crista transversa* & *Argentata* pro *Centurionis Pedestris* insigni haberetur, quum *Pedestrium Militum* nemini præterquam *Centurioni galea* istiusmodi *ferrea* concederetur. Quanquam & in *eo* discrimen esse potuerit, siquid sani habeat nuperior *Glossator*, nec de sui tantummodo *temporis cassidibus* intelligendus sit; quod *galea* illa *Centurionis ferrea* fuerit, *chalybeæ* autem *Cassides Equestres*. Constat interim illas, seu *galearum*, seu *cassidum cristas* pro *Militarium* Ordinum *insignibus* habendas esse. Fieri ergo potest ut & illa quoque *Camilli crista* summi in exercitu *Imperatoris* insigne fuerit. Alium certe neminem, in tua saltem *Parma*, observavi qui vel *similem* in *Casside cristam* habeat. Sed *sui* potius *Seculi* mores *Artificem* tuum repræsentasse suspicor, ut in reliquis illum repræsentasse vidimus. Ita *summi* potius in exercitu *Ducis*, seu *Prætorius* fuerit, seu *Consularis*, exercitus, insigne in *crista* illa statuendum erit, quam *summi* in *Republica* Magistratus, seu *Dictaturæ*, qua functus ipse est *Camillus*; seu *Imperii Augustei*, pro *Seculo* quo tuæ vixit *Parmæ opifex*.

16. *Camilli* Majestatem expressit Artifex, tam in *satellite*, qui cum *Brenno* egit, quam in *Ephippiis*.

Sed *Equestre* est *Prœlium* quod in *Parma* tua repræsentatur. *Corpus* certe copiarum *Pedestrium* neutra ex parte apparet, seu *Gallorum*, seu etiam *Romanorum*, quum tamen ex Historia certum sit *utriusque* generis copiis fuisse pugnatum. Unde igitur *Equestris Camillus*, copiarum *Pedestrium* dux, qua *Dictator*, quum *Equestres* ad *Magistrum Equitum* attinerent *M. Valerium*? Quod *copiarum* tantummodo *Equestrium* conflictum ob oculos posuerit Artifex caussa satis verisimilis esse potuit limbi exterioris *angustia*, minor quam quæ *utriusque* pugnæ vivis imaginibus capiendis sufficeret, in quibus peritiam suam venditaret Artifex. Non tamen propterea omittendus erat *Dictator* ambarum copiarum Imperator, cui etiam *Magistrum Equitum* parere oportebat. Et in re

gerenda

gerenda equus Dictatori necessarius erat quo promptius ad omnes exercitus sui partes sese conferre posset. Ita se quum res haberet, in *fronte* universi exercitus locus erat *Dictatori* maxime idoneus, quo propius copiarum *hostilium* situm atque apparatum specularetur. Idque ex Historia verissimum fuisse manifestum est. *Altercationi de auro, nondum omni auro appenso, Dictator intervenisse* dicitur, quum jam *additus* fuisset ponderi *gladius*. Liv. L. V. c. 48, 49. Et hîc in lance *gladium Brenni* videmus, adstante ipso *Brenno*. Videmus & alium *bullas* aureas *lanci* injiciendas colligentem, ut aurum omne *nondum appensum* intelligamus. Addit postea: *Gallos summoveri jubet*. Inde quoque manifestum est *Camillum* ipsum *Dictatorem* fuisse qui *jussisset*. Et sane *Equitis* illius *proximi* os, quasi loquentis *jubentisque*, apertum dedit *Parmæ* tuæ opifex, uti etiam *Brenni* pacta conventa, ut in *Livio* sequitur, vendicantis. Non ita in reliquis, quorum *sermonem* nullum supponit Historia. *Gallos summoveri* jubet *Dictator*. Hoc certe per *satellitem*, qui *manu versus Brennum protensa* verba *Dictatoris* nunciat, *casside* etiam armatus ipse, cui tamen *nudato capite* respondet *Brennus*. Hoc certe in *Sulpicio* Tribuno, *Consulari* licet Potestate, Militum non fuerat laturus *Brennus*, Populo *Romano* insultans, *gladio* in *lancem* imposito, & *væ victis* voce, ut ait Livius, *Romanis intoleranda*, intonante. *Dictatoris* ergo *satelles* est, non *Tribunus*, cum *Brenno* paciscens, qui *Dictatoris* pro *Imperio jussa*, ut *summoverentur Galli*, *Brenno* tam ingrata, refert. *Majestatis* plane *Dictatoriæ* verba sunt: *summoveri jubere*. Multoque magis quum *hostibus* perferenda mandantur. Maxime vero quum ipsi hostium *Regi*. *Summovere*, si cum *Civibus* res esset, *lictorum* munus erat. Idque indicabat, eum, qui *summovebatur*, de *via* cedere oportere, vel de *equo descendere* si *Equestris* Dictatori occurrisset. Hoc ergo *Brenno Gallorum* Regi *armatus* ipse tam *Casside* quam *Clypeo*, (quorum utroque carebat ipse *Brennus*) & *minanti* similior, quam *paciscenti*, denunciat *Camilli satelles*. Tum de pactis *injussu* suo ab *inferioris* juris *Magistratu* factis, eodem internuncio, *Camilli Dictatoris* cum *Rege Gallorum* expostulatio. *Regem* enim ipsum

 fuisse

fuiſſe oſtendunt *ſenes barbati*, *inermes* & ipſi, pro ſui *Principis* exemplo, paullulum *remoti*, vultibus *gravitate* & *reverentia* pleniſſimis. Nec alteri quam *Regis Perſonæ* conveniebat audax illa & perfida *gladii* in lancem impoſitio, quam *Brenno* ipſi tribuunt *Hiſtorici*. Denique *Gallis*, ut ſe ad prœlium expedirent, denunciatum. *Aliena* omnia à Perſona *Sulpicii*, *Camilli* autem *Dictatoris* Majeſtate digniſſima, armatique, magiſque, quam fuerit *Brennus* ipſe, ad prœlium parati, internuncii Perſona *ſummoventis*, *denunciantis*, imo etiam *minantis*. Inſigni ergo dignitate aliqua fuerit oportet *ſatelles* ille *Dictatoris nuncius*, aut ſaltem non longe à primaria dignitate, licet pedes *mandata* peregerit, qui *Dictatoris* mandata ad *hoſtium Regem* retulerit, utraque *Perſona* dignus, ſui nempe *Dictatoris* & *Regis* hoſtilis. *Caſſidem* non *Plebeiam* fuiſſe è *criſta* colligimus *Penna*. Et quidem *pennas* vel *purpureas*, vel *nigras*, vel *albas* fuiſſe docet *Lipſius* Mil. *Rom*. L. III. Dial. V. Eſt & alia quoque in *Camillo* dignitatis nota in *Ephippiis*. Inter *Gallos fugientes* unicum obſervavi in quo *Ephippiorum* vel *veſtigium* compareat. In *Dictatoris* ſatellitio frequentiora ſunt, quod merito exſpectandum erat in *ſummæ* dignitatis *Magiſtratu*. Sed & hæc *recentioris*, quam *Camilli* fuerit *ætatis* nota videri fortaſſe poteſt. *Varro* apud Nonium Marcellum; *Mihi Puero modica una fuit tunica, & toga, ſine faſciis calceamenti, Equus ſine Ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus*, voc. *Ephippium*. Ita quidem, ſi, *Varrone* demum *Puero*, cœpiſſet apud *Romanos* uſus *Ephippiorum*. Non tamen ita videtur ſenſiſſe *Varro*. Agebat eo in loco doctiſſimus *Romanorum* de *liberis Educandis*. Suamque *Pueritiam* pro *exemplo* dedit *parcæ frugaliſque* Educationis, qua ipſe fuerit à ſuis inſtitutus. Sic *contrarium* ſupponet, potius *frequentem* fuiſſe in *coæqualibus* ſibi *Pueris Ephippiorum* uſum, dum *Ephippiorum* ſeu *contemptum*, ſeu *neglectum*, *ſingularem* in ſe ſupponit, & pro *ſingulari* habet Argumento *laudis* ſuæ, ſi *ſponte* ſua ab *Ephippiorum* uſu ipſe ſibi temperandum cenſuerit; vel *eorum* fortaſſe potius quorum fidei commiſſa fuerat illius *inſtitutio*. Sed *Catonis* nomen illi *Dialogo* inſcripſerat *Varro*. *Junioris* fortaſſe,

qui

qui eodem erat, quo *Varro* ipse, Seculo, *ætate* tamen *Varrone* paullo *junior*. Ita de *Catonis Pueritia* verba illa intelligi poterunt, si quidem *Catonis Persona* illa scripserit Auctor. *Catonis* autem illius *Pueritiam* in *Syllana* tempora incidisse constat è *Plutarcho*. Coævus tamen *Varroni Cicero Catonis majoris* Personam egit in *Dialogo* de *Senectute*. Cujus *Pueritia Varrone* longe erat *antiquior*. Neque vero solus *Cato* pro mollis effæminatique animi Argumento *Ephippiorum* usum habebat. Idem censebat *Xenophon*, idem *Germani* teste *Cæsare*. Non tamen illud obstabat, quo minus viri *voluptatibus* deditissimi iidem fuerint in Bello *pugnacissimi* atque *fortissimi*. Hoc olim observavit de *Atheniensibus Athenæus*, non fuisse inferiores *Lacedæmoniis* in Bello, Civili licet *Educatione molliori* atque *laxiori*. Et *par* dedit *Plutarchus* apud *Græcos Alcibiadem*, apud *Romanos Lucullum*, aptissime invicem hoc ipso nomine conferendum, quod domi *molles*, in Militia tamen *durissima* quæque facile tolerarint. Sic *Philosophi* Personam egit in *Purpura* & *Unguentis Aristippus*. Et de *militibus* suis *Cæsar* similiter gloriatus est: *etiam unguentatos bene pugnare posse*. Suet. c. 67. *Temporis* ergo ut nota nulla agnoscatur in *Ephippiis Dignitatis* tamen saltem agnoscenda erit, quia *Equites* nonnullos in tua quoque *Parma* videamus qui caruerint *Ephippiis*.

17. *Caudæ Equinæ integræ* crista non est *insigne Magistri Equitum* in *Equite Barbato. Jubæ Equinæ triplices* in crista *Camilli.*

Redeamus jam ad Equitum tuorum *cristas*. Est ergo, inter *Equites Romanos*, alius multis insignibus à *gregariis Equitibus* facile agnoscendus. *Ætas* imprimis illi, similiter ut *Camillo*, *Barbata*. Nec *Parma* aliqua aliisve, quæ apparent, armis onustus, nisi forte *gladio*, è *dextra* Equi parte, quæ videri non potest, evaginando, quum cominus ageretur, manusque esset cum hostibus conserenda. Onustus tamen *hasta vexillari*, *Alæ* cujuspiam *Equestris*, vel *Cohortis*, vel *Turmæ*, ut videtur, insigni. *Ephippia* autem, quod quidem ipse oculis assequi possim, omnino *nulla*. *Cristam* nihilominus Heroum *Homericorum* habet Ἵππουριν, cujus rara mentio occurrit apud Scriptores etiam *Romanos*. *Jubarum Equinarum* mentio diserta

diserta apud *Silium Italicum* de Consule *Marcello*. L. XII. *Virgilius cristam* duntaxat *equinam* tribuit *Mezentio*. *Cristam* item *Equinam Curioni* summo exercitus *Cæsarei* duci *Silius*. Atqui profectò *variæ* erant *cristarum Equinarum* formæ, etiam quum è *pilis* constarent omnes *Equinis*. *Caudam* hîc *Equinam* integram *cono Cassidis* aptatam gestat *Romanus* eques *Barbatus*. Qui quidem *conus* (*Græcis* κύμβαχος) cavus erat, per quem *pili* transmittebantur, ipso *cono* supra *cassidem* eminenti, ut ex *Eustathio* constat atque *Statio*, cum quibus *Parma* tua convenit accuratissime. Hæc *cristæ* forma, quanquam antiquissima, *primariæ* tamen inter *Equestres* dignitatis *insigne* esse non potest. *Vexilliferi* est tantummodo, & ne quidem *Vexilliferi* inter *Equestres* primarii. *Imberbis* infra illum effingitur *Adolescens*, etiam ipse *Vexillifer*, & qui *cristam* habet, aliam tamen à *vexillifero Barbato*, ne aut *gregarius* Eques habeatur, aut *ejusdem* ordinis cum *vexillifero Barbato*. In eo tamen *Barbato* superior quod *Ephippiis* instructus sit quæ nulla reperiuntur apud *Equitem Barbatum*. Hæc si *potiorem* dignitatem in *Adolescente* arguant *imberbi*, ita ne *secundariæ* quidem *dignitatis* insigne erit *cauda Equina* integra. Tantumque aberit ut *Magister Equitum* fuerit, quod primo suspicabar, *senex* ille *Barbatus*, ut *primum* locum ne quidem inter *vexilliferos* tenuerit. *Jubæ* ergo fortasse potius *Equinæ* fuerit *Camilli* ipsius *apex*, quum *jubarum* usum quam *caudarum* in *summis* Exercituum ducibus *frequentiorem* observaverimus. Λόφοι in genere *cristæ galearum Græcis* audiunt. Λόφος, περικεφαλαία, *Crista*. Et Λόφος, *Porticus Galeæ*, *crista*. Et viceversa: *Porticus Galeæ*, Λόφος. apud Glosſ. *Caroli Labbæi*. *Porticus* nempe intelligebatur pars Galeæ *eminentissima*, quod scilicet Galeæ *summæ* margini aptata fuerit, cujus pars *media* omnium *celsissima* fuerit; non autem *mediante cono*, ut hîc factum videmus in *cauda Equina*. Sic enim Λόφος *Tumulum* & *Collem* primaria significatione designat. Ut *Porticus* Ambulacri *tegmen*. Sic item Λόφοι, τειχώσεις apud alios *Grammaticos*. Nec tamen aliorum *Animalium*, quam *Equorum*, nec ex aliis Equorum, quam *jubarum*.

barum. Sic enim Λόφος ἵππου, *Juba*, ejusdem *Labbæi Philoxeno.* Sed *triplicem cristam*, & *plures* adeo una *jubas*, immo *jubas* etiam *triplices* arte *textoria* invicem innexas antea quam *Galearum dorsis* aptarentur, primariis viris tribuunt *Poëtæ*, voce nimirum *Technica* Artis, quam dixi, *Textoriæ.* Fieri ergo potest ut pro *triplices* legendum sit *trilices* apud eosdem *Poëtas.* *Necesse* tamen non est ut quippiam innovemus. Nam & *illam* quoque vocis *triplices* Technicam significationem probant *Labbæi* Glossatores. Sic enim habent: *Triplex*, τρίμιτος, τριπλοῦς, τρίπλοκος, τριωσός. Viceversa: Τρίμιτος (quæ artis *Textoriæ* vox certissime est) *triplex.* Iterum: *Trilex*, τρίμιτος. Quæ vox *Latina* ad eandem pertinet artem *Textoriam*, etiam apud *Latinos.* Conveniunt & illa: *Licia*, μίτος. *Lix*, μίτος. Et è contra: Μίτος, *Licia*, *Licium*, *filum.* Μίτος, *filum*, *lix.* Ita hæc *invicem* conveniunt ut nullam prorsus relinquant suspicionem de *errore* aliquo, seu *Collectorum*, seu *Librarii.* Talis ergo fuerit *Camilli*, tanquam *summi* Ducis, *crista*, ut è *tribus Equinis jubis* invicem, ut dixi, *contextis* conflaretur, & *summæ* cassidis *crepidini*, qua in *longum* exstabat, acu, ut videtur, intexeretur. Erat enim *crepido* illa perpetuo, ut videtur, *cava.* Inde *Porticûs* nomen haurire potuit, quod, quæ in ea erant, perpetuo *tegeret*, ut *ambulantes* perpetuo in motu versantes tegebant *porticus hortenses.* Quanquam etiam, si à recepta, *Codicum* consensu, lectione, discedere liceret; poterat pro *Porticu* *Porcus* fortasse potius, vel *Porca*, legi. Pro ea nempe significatione, quam, in re *Agraria*, obtinebat vox *Porca*, quum partem arvi *eminentem*, quæ *sulco* opponebatur, denotaret. Nec sane *Porci dorso* dissimilis erat *cassidis* illa *crepido.* Sed nihil temere mutandum, quum & alia quoque lectio satis commoda sit, & ad caussam nostram pariter faciat. Relicta ergo crediderim in illo *canaliculo*, seu *Porticu*, foramina, quibus inserendæ erant, è *triplici juba* pendentes, *ansulæ*, quibus *jubæ* ipsæ cum eo, seu *filo*, seu *lamina flexili* quæ per totam *Porticum* decurrebat, necterentur. Et quidem in *casside Camilli* sic eminet *crepido*, cujus usum modo diximus, ut longe manifestior sit reliquis *gregariorum Equitum* crepidinibus.

Erant

18. *Crista* in *Cassidum* fronte, φάλοι· in *occipite*, λόφοι.

Erant porro & *aliæ* in cassidibus *pilorum* plicaturæ quæ *insignium* vicem etiam ipsæ præstiterint. Erant & in *Cassidum frontibus* efformatæ in *cornuum* similitudinem. Inde & *cornuum nomen* sortitæ, è τριχώσεσι tamen conflatæ, ut docet *Suidas*. Λόφοι etiam ipsæ *Græcis*, sed, quia in *fronte* situm haberent, φάλοι potius quam λόφοι à *Græcis* appellatæ.
P. 457. Sic enim *Eustathius* : Τινὲς δὲ καὶ ἄλλως περὶ τοῦ φάλου φράζοντες, ἀνάσημά φασιν αὐτὸν περικεφαλαίας προμετωπίδιον, καὶ ἀσπιδίσκιον μικρὸν, ἢ ἧλον. Iliad. E. Et paullo antea : Τὸ γὰρ τετράφαληρον, καὶ ἀμφίφαλον ἐξηγούμενοι οἱ παλαιοὶ, φασὶν ὅτι φάλοι μὲν οἱ κατὰ τὸ μέτωπον τῆς περικεφαλαίας ἀσπιδίσκοι· φάλαρα δὲ, κρίκοι τινὲς τῆς περικεφαλαίας ἐν τῷ παραγναθίσιν. Ὡς εἶναι διαφορὰν ταύτην φάλων καὶ φαλάρων. Τινὲς μέντοι ταυτὰ ὑπέλαβον ἀμφότερα· ὡς εἶναι τὸ τετράφαληρον ἐξηγητικὸν τοῦ ἀμφίφαλον. Ἡ γὰρ ἐκ δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν ἔχουσα τοιαῦτα, καὶ αὖ πάλιν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν, ἀμφίφαλος μὲν, ἤγουν δίφαλός ἐστι τῇ
P. 321. συζυγίᾳ· τετραφάληρος δὲ τοῖς καθ᾽ ἕν. Alibi ad Iliad. Γ. Φάλος δὲ κόρυθος, ἀσπιδίσκιον, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ φανεῖται, ἢ ἀστερίσκος τὶς προμετωπίδιος, λευκὸς καὶ λαμπρὸς, ἐκ τοῦ φάλιον τὸ λευκόν. Αὐτὸ δὲ παρὰ τὸ φάειν λίαν, &c. Hinc sane manifestum est non *unam* fuisse vocis φάλου, apud veteres *Grammaticos*, significationem. Inter quas tamen, si & λόφον denotarit, alium certe λόφον denotare minime potuisse quam qui fuerit προμετωπίδιος, non qui *mediam Cassidis* partem tenuerit, ut è vocis *Etymo* collegerant veteres *Grammatici*, è quibus sua compilavit *Eustathius*. Et sane tales φάλους, qui cornibus non absurde conferri possint, in Cassidum *frontibus* exhibuit tua quoque *Parma*. Nec illis absimiles, quos in *Augustarum* mundi Muliebris parte ea, quæ ad *capitum* ornamenta spectabat, repræsentant *Augustarum Nummi*. Et ne quidem illud incommode, quum è *comis* contexti fuerint illi quoque *Militum* φάλοι, non quidem *Muliebribus*, ut *Augustarum* φάλοι, sed potius, ut videtur, *Equinis*. Conveniunt tamen præterea in eo, quod *plures* fuerint in uno φάλῳ λόφοι, ut in *Augustarum Nummis* videmus pariter ac in tua *Parma* capitum *Equestrium*. *Gregariorum* autem *Equitum* non fuisse *Cassidum* φάλους, ex
P. 323. l. 19. *Eustathio* colligimus. Sic enim ille : Τῶν δὲ περικεφαλαίων, αἱ μὲν ἄφαλοι, ὡς αὐτός που λέγει ὁ ποιητής· αἱ δὲ φαλωταὶ, ἤτοι ἔχου-

σαι

σου φάλον. Vid. etiam p. 407. l. 7. Sed è locis ex *Eustathio* descriptis *varias* fuisse constat hujus *vocis*, apud Veteres, interpretationes. Sed qui pro λόφῳ acceptam testetur, disertissimus est *Hesychius* : Φάλος, ὁ λόφος τῆς περικεφαλαίας. Cui tamen non ignotæ erant ex aliis Veteribus ejusdem vocis interpretationes. Huc retulerim verba ejus alia hodierna illa : Φάλαρα, ἀςραγαλίσκος, ὁ ἐπὶ τῆς περικεφαλαίας. Ibi legendum Φάλος, viderunt Editores. Non item quid proximo loco sequi oportuerit. Ex *Eustathii* tamen verbis modo memoratis, vix est cur dubitemus, quin ἀσπιδίσκος reponendum sit, vel potius ἀςερίσκος. Et quidem nisi me cæcutientes fallant oculi, videor mihi videre, inter *Camilli* satellites, qui ad *Cassidis* παραγναθίδα quidpiam habeat quod ἀσπιδισκίου formam non absurde referat. Vereor autem ne fefellerint. Ἀςερίσκους autem plures humi stratos observare licet, ex *occisorum cassidibus*, ut videtur, decussos. Alias præterea significationes idem habet *Hesychius* in voce ipsa Φάλος. Ἔνιοι, inquit, λευκὸς ἧλος, ἄλλοι ψέλλος. Ἧλος appellabatur propter *patulum* caput *ornatûs* caussa ita fingi solitum, ut in gladiis *Heroum Homericorum* ἀργυροήλοις. Quod ne quidem ipsum ἀσπιδισκίῳ fuerit dissimile. Ψέλλος autem *Hesychii* idem prorsus fuisse videtur cum *Eustathii* κρίκῳ. Ψέλλια *Hesychio* δακτύλιοι & λύγοι. Λύγος *vimen* est. Sic ergo rem se habuisse crediderim. Videmus in *Parma* tua ad *Cassidum* genas *circellos* quosdam, *albos* utique propter nomen φάλων, ex inferiori parte *lora* sustinentes sub mento religanda, superne autem ascendentes ad φάλους προμετωπιδίους, *vimineis*, ut videtur, *fulcris*, quæ *circulis* ab utraque *gena* pertractis φάλον ipsum ambientibus φάλον ipsum sustinuerint. *Circuli* hi superiores συείγγια fuisse videntur, εἰς ἃ καθίενται οἱ λόφοι, quæ etiam συείγγια apud Veteres φάλων appellationem habuisse testatur *Eustathius*. *Exteriores* illi *circelli*, in *æneis cassidibus*, è solido fuisse videntur *metallo*, ipsi quoque *plani*, vel *convexi* potius, & *solidi*. Sic recte ἀσπιδισκίων formam habuerint. Nec minus *clavorum*, ut in *nummis* nostris *Britannicis Argenteis* factum videmus, qui etiam apud Antiquarios *clavatorum* nomen habent. Figuram autem illis non perpetuo *rotundam*

Eustah. p. 892. l. 19.

tundam fuisse exinde suspicor, quod qui aliis ἀσπιδίσκοι, ab aliis veterum ἀστερίσκοι vocarentur, quod *astrorum* etiam formam retulerint, quales hîc *humi* stratos passim observamus. Recte ergo *cassides* δίφαλοι propter duos illos *genarum albos* φάλους. Et recte τετραφάληροι propter *annulos* vel συείγγια similiter alba, quum etiam ipsa in numerum acciperentur. Et recte denique λόφος ille προμετωπίδιος, proprio suo quodam & singulari jure φάλος appellandus, propter *albedinem*, vel etiam *Argenti* fortasse fulgorem, si quidem *Argenti* ornatus accessisset. Hoc certe colore à *cristis pennatis* internosci poterant, quas *rubras* fuisse vel *nigras* indicat *Polybius*, nec proinde φάλων nomine insigniendas.

19. *Cristæ pennariæ* in *Parma*, quæ apud *Lipsium*, nullæ. Nullæ item, quales apud *Lipsium*, *Animalium*, Parmæ, ut videtur, *ætate* recentiorum.

Reliquæ ergo *cristæ*, quæ à φάλοις proprie sic dictis, προμετωπιδίοις secernebantur, ὀπισθομετωπίδιοι proinde fuerint oportet, situmque adeo in cassidum *occipitio* habuerint. Plane ut in tua quoque repræsentantur *Parma*. Harum quæ *pinnatæ* erant, proxime *cassidum occipitiis* nectuntur. Quæ autem paullo altius eminebant, illæ *conis* inserendæ erant *recta* ascendentibus, non autem συειγγίοις per cassidum oras erepentibus, ut modo observabamus in φάλοις. Et quidem *rigidos*, eademque, qua & cassides, *materia metallica*, necesse erat illos fuisse *conos*, ut nec ipsi *nimio* essent *oneri*, nec oneri *cristarum* inserendarum ferundo *impares*. Maxime quum *cristæ* ipsæ essent τριλόφοι. Non *texturæ* tantummodo *trilicis*, verumetiam *triplicis apicis*. Talem tua in captivo *Gallo*. Sed potuit *onus* illud tantummodo fuisse *pennarum*. Nam & *pennas rectas*, & è *cono* surgentes memorant *Poëtæ*. Aliæ autem hæ, & diversæ admodum ab illis quas è repertis suo Seculo monumentis collegit *Lipsius*, *cristæ*. Magis tamen, ut existimo, *Romanæ*, & Scriptoribus, hujus præsertim temporis, *Romanis* frequentius memoratæ. Nullæ hîc, ut apud illum, apparent *Animalium* προτομαί. Sed *Gallis* illas tribuit *Diodorus*, *Germanis* *Plutarchus* in *Mario*, *Parthis* Anonymus apud *Suidam*, ipso quoque observante *Lipsio*. Inde quoque verisimile est, *Barbarorum* fuisse, potius quam *Romanorum*, quod in *Barbaris* animad-

animadversione dignum censuerunt quasi *singulare*, Scriptores qui re *Romana* maxime florente scripserunt. Nec sane aliquem reperiri posse arbitror, seu *Poëtam Romanum*, qui suis *Heroibus*, vel gravem cujuscunque generis Auctorem, qui *Romanis* cum hoste rem gerentibus, *Animalium* seu *vultus*, seu *rictus*, in *cassidibus cristarum* vice observarit. Intelligo autem de *Militia Romana* saltem *Equestri*. Nec me tamen latet, *rictus* saltem *ferinos* in *Militia* eorundem *Pedestri* observari. Sed non ante *Trajanum*; nec *cristarum* vice, sed *galearum*. Nec desunt hîc, si quid recte video, exempla *pennarum Polybianarum*, erectarum & *triplicium*, & è *conis* surgentium, quas tamen memorant Auctores his, in quibus versamur, *temporibus* propiores quam fuerit ipse *Polybius*, qualia nihilominus exempla in sua Collectione desideravit *Livius*. Recentiorum omnino temporum erant monumenta *Lipsiana*, quum in *Barbarorum* mores migrassent *Romani*, quod à *quarto* quidem *Seculo* effræni factum est licentia. Locupletanda ergo erit è tua *Parma*, & supplenda collectio *Lipsiana*. Quarum autem *dignitatum* cristæ *singulæ* insignia fuerint, nulla prorsus, quod quidem sciam, suppetunt monumenta, quibus freti id statuere audeamus.

20. *Gladius Romanorum*, sub *Nerone*, *Equitum longior*, à *Josepho* descriptus, cum *Parma* convenit, si cum *Pedestri* Gladio in *lance* posito conferatur, ad *cominus punctimque* cum hoste confligendum, propter ipsam ejus *brevitatem*, maxime idoneo.

Nec male convenit *Parmæ* tuæ armatura *Equestris* cum ætate *Neronis* temporibusque *Neroni proximis*. Sic enim eam descripsit, qui, ea ipsa ætate *Neronis*, Bellum cum *Romanis*, duce *Vespasiano*, gessit, cuique proinde *Militiam* illam oportuit fuisse exploratissimam, *Josephus*: Τοῖς δὲ ἱππεῦσι μάχαιρα μὲν ἐκ δεξιῶν μακρὰ, καὶ κοντὸς ἐπιμήκης ἐν χειρὶ, θυρεὸς δὲ παρὰ πλευρὸν ἵππου πλάγιος, καὶ κατὰ γωρυτοῦ παρήρτηνται τρεῖς ἢ πλείους ἄκοντες, πλατεῖς μὲν αἰχμὰς, οὐκ ἀποδέοντες δὲ δοράτων μέγεθος. Κράνη δὲ καὶ θώρακες ὁμοίως τοῖς πεζοῖς ἅπασιν. L. III. Bell. Jud. κεφ. δ'. pro *Græca* divisione. *Gladius* hoc in loco *oblongus* breviori illi παραζωνίῳ, vel παραμηρίῳ, opponitur, *pugioni* verius quam *gladio*, quem *Pedites* ad *dextrum* latus Zona cinctum habebant, *Equites* autem non habebant, quemque *palma* longiorem negat fuisse *Josephus*.

phus. Longiori ergo *Peditum gladio* conferendus eſt hic *Equitum gladius*. Ut proinde recte *longus*, pro mente *Joſephi*, *gladius Equitum* haberi poſſit, ſi ad *longioris Pedeſtris Gladii* menſuram aliquatenus accederet. *Gladius* autem *Peditum longior*, qui à *ſiniſtro* latere pendebat, *Hiſpanienſis* erat. Hunc ad *propiorem pugnam* habiliorem fuiſſe docet *Livius*. Propter ipſam nempe *brevitatem*. Ita factum ut *Manlius*, qui ab ea victoria *Torquati* cognomen lucratus eſt, *quum ſcutum* Galli *imum ſcuto*, ipſe *Gallo* brevior, perculiſſet, *toto corpore interior periculo vulneris factus fuerit*. Liv. L. VII. c. 10. Inde uſum ejus oſtendit, ſi *pede collato pugnandum* eſſet. Tum enim, *tranſlatis in lævam haſtis*, ſtringere ſolitum fuiſſe *gladium* L. XXXVIII. c. 21. teſtatur. Et, in Bello cum *Philippo*, terrorem *Macedonibus* incuſſum docet conſpectu vulnerum ab *his gladiis* illatorum. *Detruncata* enim recenſet ab hoc *Hiſpanienſi* gladio *corpora, brachiis abſciſſis*, aut tota *cervice deſecta*, *diviſa à corpore capita*, *patentiaque viſcera*, & *fœditatem* aliam *vulnerum* narrat. L. XXXI. c. 34. Convenit deſcriptio ejuſdem gladii *Hiſpanienſis Polybiana*: Ἔχει δὲ οὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. L. VI. c. 21. Firmitas illa ὀβελίσκου, ſeu *mucronis*, non magis à paritate *radiorum* pendet, utrinque à *mucrone* ad *manubrium* ductorum, unde factum ut *neutram* in partem *frangendi* eſſet inclinatio; quam ab ipſa *brevitate*. Sic itaque alibi Livius: *Hiſpano, punctim magis quam cæſim aſſueto petere hoſtem, brevitate habiles, & cum mucronibus*. L. XXII. c. 46. Hæc illa *habilitas* erat ab eodem in *Manlii* pugna laudata. Eodem ſpectat quod *gladios Romanorum Galaticis breviores* agnoſcat *Dio*, & propterea ξιφίδια appellat, dum cum *Arioviſto* res gereretur. L. XXXVIII. Nihil tamen illud obſtabat, quo minus ξιφίδια illa, propter illam ipſam *brevitatem*, ἀνυσιμώτατα cenſeret. Cur autem *Romanis* placuerit *gladii Hiſpanici* forma, eadem evicit, quæ etiam apud *Hiſpanos* evicit, *ratio*. Quod ſcilicet eandem probarint *pugnandi rationem*, quæ etiam placuit *Hiſpanis*, qua *punctim* peteretur hoſtis pariter ac *cæſim*.

W. P.

Rationes reddit *Vegetius*. L.I. c. 12. Itaque *Romanus* erat gladius, sed copiarum tantummodo *Pedestrium*, quem *lanci* hîc impositum vides ab insultante *Gallo*. Nec absurde ab eo usurpandus, dum etiam ipse *pedes* ageret inter paciscendum. Pro tui certe Artificis sententia, qui non alia *Gallis* suis *arma* tribuenda censuit,quam *Romanis*. Hinc ergo *Equestris* quoque *gladii longitudo* æstimanda est, qui satis *longus* erit, pro mente *Josephi*, si *hunc* æquarit *gladium Pedestrem*, quem à *brevitate*, & ab ea quæ *brevitatem* consecuta est ἀνυσιμότητι laudant Auctores. Nec facile potuit excogitari *forma* gladii alia ad prædictos *usus* utilior. Tam scilicet ad *punctim* conficiendum hostem, quam *cæsim* efficacior. Convenit ergo examussim cum temporibus *Neronis ultimis*, quum *Galilæam* aggrederetur, adhuc sub *Neronis* auspiciis, *Vespasianus*, & *Josephum* ipsum obsideret in urbe *Jotapata*. *Equestrem* autem *gladium longum* quidem agnoscit fuisse *Josephus* : non tamen prorsus eundem cum gladio *Peditum longiori*. Contrarium potius innuit quum inter arma *Peditibus Equitibusque communia gladios* non recenset, sed *cassides* duntaxat & *thoraces*. Nec sane *gladios* alios quam *Parmæ* tuæ *falcatos* exhibent *Iconismi gladiatorii*. Conveniunt & *alia* horum temporum monumenta. Inde manifestum est, hos quoque *gladios Romanis* innotuisse. Rectius utique *Equitibus* assignandos, quibus pugnandi ratio paullo *remotior* erat quam *peditibus*; nec adeo frequens usus aut occasio hostem *mucrone* petendi quam *acie*. Consentaneum ergo erat ut in hostes *remotiores gladii* quoque adhiberentur paullo *longiores*. Vimque impressionis augebat ipsa illa aciei *curvatura*, quum oneri incidentis *gladii* accederet partis illius onus quæ *retro* fuerat protensa : faciliusque in vulnus illabebatur pars *aciei protuberans* quum pauciores essent corporis vulnerati partes quæ repugnabant quam si plana acie facta fuisset impressio. Cadentis præterea onus juvabat major illa *mucronem* versus *latitudo*. Et viceversa plagas *cæsim* inflictas imminuebat *tenuitas mucronis* ejusdemque situs à capulo *usque* rectus in gladio *Pedestrium* celeberrimo, quem dixi, omnium *Hispaniensi*.

21. *Pedeſtris* ille *Romanorum gladius* eſt ῥόμφαια δίςομος ὀξεῖα à *Sacris Scriptoribus* propter *penetrationem* laudata.

Eſt autem *gladius* hic *Hiſpanienſis* μάχαιρα illa, vel ῥόμφαια, δίςομος ὀξεῖα, de quo tam multa Novi Inſtrumenti Scriptores, & Veteris Interpretes. Hoc enim nomine laudatur, quod facile ad *interiora penetraret*, *punctim* utilior quam *cæſim*, quamvis in *poſteriori* quoque pugnandi genere, propter *acierum* accuratiſſimam temperiem, admodum formidabilis. Sed ad *priorem* ejus uſum reſpectum habuit ſanctus Auctor ad *Ebræos*. Verbis nimîrum illis: διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν. IV. 12. Nomine μυελῶν *ſpinam dorſi* intelligit *medullarem*, quouſque penetrantia vulnera, per corpus integrum adiguntur, nec ſpem ſalutis ullam reliquam faciunt. Eumque ita veteres intelligebant Interpretes, qui vocem τομώτερος reddiderunt *penetrabilior*. Significatione ſcilicet *Activa*. Pro more Seculorum ſenſim in *Barbariem* degenerantium, quæ etiam *Verbalia Activa Paſſiva* etiam ſignificatione uſurpant. Sic in Epiſtolis Seculi etiam *Quarti* Amicis *deſiderantiſſimis* inſcribunt, quum tamen *deſideratiſſimos* intelligant, quos *ipſi* ſummo *deſiderio* proſequerentur. Et quidem ad *penetranda hoſtium* corpora *gladius* hic *totus* accommodatus eſt. Κέντημα ἀμφότερον à *Polybio* attribuitur, propter *mucronis* non *anguſtiam* tantummodo, verumetiam *duritiem* ſumma Artis ςομωτικῆς peritia elaboratam. *Mucronem* tamen in *penetrando* juvabat *bina* Obeliſci *acies* (ſic enim *reliquam* gladii partem appellat, à *mucrone* uſque ad *capulum* ſeu *manubrium*,) quia *coquinum obeliſcum* non abſurde referebat, utraque propria ſua ςομώσει, unde δισόμου nomen traxit, obdurata, & ad *acumen* ipſa ſummum exacta. Quo enim *altius* in vulnus penetrabat, ita *non* obſtabat *gladii* paullatim *aucta* latitudo; ut contra *viam* ſibi fecerit patefeceritque *bina* gladii *acies*, dum ad intima *penetraret*. Nullo tamen vulnus *inferentis* periculo dum gladius è vulnere *retraheretur*. Reſecabat enim ſibi reditum aucto vulnere, facili niſu, gladius ille adactus retractuſque. Inde *patentia* apud *Livium viſcera*, quod magnos *ventris* hiatus fecerint *binarum acierum* reciprocationes, *utrinque* novos meatus patefacientes. Et quidem *patentia*

tia

tia viscera in cæso *Gallo* tua quoque repræsentat *Parma*. Inde à *Pedite* quodam, cui *gladii Hispaniensis* usus erat, *cæsum* intelligimus. Et ἁρμοὶ quoque *spinales* designari videntur ab *Apostolo*, qui facile invicem *separari* poterant adacto per corpus hujusmodi *mucrone*, στομώματος accuratissimi. Sed & à plagis cæsim impactis (hæc Polybii καταφορὰ est) *idem* laudatur *gladius*, propter *laminæ* τὸ ἰσχυρὸν καὶ τὸ μόνιμον. Hoc tamen *discrimine*, ut vim ejus agnoscat ad inferenda *cæsim* vulnera, διαφορότητα tamen, seu præstantiam in hoste ponat *punctim* conficiendo. Ad *aciem* vero, & quidem *utramque*, spectat posterior illa laus, ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν, ut similis esset utrique vis, quum jungeretur *pede pes*, *densusque* esset *viro vir*. Quum ita res haberet, reliquis *gladiis* ne quidem διαφορότητι cedebat, ut è *resectis brachiis*, & *cervicibus præcisis* à *Livio* commemoratis constabat. *Vis* autem illa major erat quo *pugna* propinquior erat, maxima nimirum in partibus *manubrio* proximis, qua maxima erat *gladii gravitas*, quæ admodum *exigua* erat versus *mucronem*. Ceterum *chalybi* imputat *Dio Romanorum* gladiorum *Pedestrium* utilitatem χρησιμότητα. Verba ejus sunt de *Romanis* loquentis: Τά τε γὰρ ξιφίδια καὶ σμικρότερα τῶν Γαλατικῶν ὄντα, καὶ τὰς προσβολὰς χαλυβδικὰς ἔχοντα, χρησιμώτατα σφισὶν ἐγένετο. L. XXXVIII. Sic ille de prœlio *Cæsaris* in *Ariovistum*, anno U.C. *Varron.* 696. Facile hîc agnoscimus *acierum* (quarum προσβολαὶ erant) στόμωσιν, è *chalybe*, unde *utilitatem* illam Historicus arcessit. Ut proinde recte è *bina* illa *acierum* στομώσει gladius ipse διστόμου appellationem traxerit. *Dextro* porro *lateri gladium* illum *Pedestrem* attribuit *Polybius*. Et *dextro* similiter *lateri* gladium *Equestrem Josephus*. Incommode quidem, & tamen in eo invicem consentientes, ne alioqui *Librariorum* erroribus imputandum censeremus. Aliter se rem habuisse postea è *Trajani* atque *M. Antonini* columnis observavit *Lipsius*. Nec tamen inde notam *Temporis* lucramur. Nam & *gladiorum* situs *varios* in *iisdem columnis* observavit ipse *Lipsius*. Ut certi nihil inde colligere liceat quis fuerit *receptus* utriusvis *Ætatis* mos. Et ne quidem è tua *Parma* constat, *lævamne*, an ad

dextram

dextram potius partem pependerint *gladii.* In *Romana Parmæ* parte nullus prorſus apparet *gladius.* Unicum illum ſi excipias peditem Romanum, qui captivo *dedentique* ſe in illius fidem armato *Gallo* minitabundus inſultat. Eum tamen, *occiſo Equo*, *Peditem* factum, non ab origine *Pedeſtrem* fuiſſe docet *gladius*, quo *dedititio Gallo* minatur, non *Pedeſtris*, ſed *Equeſtris.* Nec enim *Equum* tantummodo, ſed & *caſſidem* eodem pugnandi tumultu perdidiſſe videmus. Nulla ergo ſunt in *Parma* tua *Pedeſtrium* militum Ectypa. Amiſſo autem *Equo* nihil occurrit unde judicare liceat quo Equi *latere*, *dextrone* an *ſiniſtro*, gladius pependerit. Tantum abeſt ut de hoc quippiam è tua *Parma* liqueat, ut ne quidem *vaginarum*, vel *balteorum*, unde gladii antea *pependerint*, veſtigia in eadem appareant. Sunt equidem apud *Gallos gladii*, ſed non ad rem *gerendam*, nec *eodem* uterque *latere*. *Gallus fugiens* à *læva* habet, à *dextra* autem *dedititius*, capulo ad hoſtem verſo, uterque manu *nuda acies* gladiorum tenens *evaginatorum*. Romanus *dedititium* confecturus *læva gladium* moderatur, incommode ad plagam inferendam. Potuit tamen verum eſſe, quod tradit *Joſephus*, ſi recte intelligatur, de ſitu *gladiorum*, ante *prœlium* initum recepto, non autem de eo quem pugnæ confuſio, aut *Equitis exigentia* poſtea introduxerit.

22.
Contus Joſephi haſta hujus *Parmæ* reſpondet *Equeſtri*, quæ *haſta* erat omnium *antiquiſſima.*

Sequitur in *Joſepho*, καὶ κοντὸς ἐπιμήκης ἐν χερσί. *Contus* plane talis, qualem in *Equitibus* ſuis repræſentat *Parma* tua. Et quidem ea ſignificatione qua ab aliis cujuſvis generis *haſtis* internoſcitur. Sic enim Iſidorus: *Contus ferrum non habet: ſed tantum cuſpide acuta eſt. Virgilius: Ferrataſque trudes, & acuta cuſpide contos. Contus autem quaſi conitus. Eſt enim conum* [ita è variis *Gothofredi* Lectionibus ſcribendum pro *conitus*] *acuta rotunditas. Trudes amites ſunt cum Lunato ferro, quæ Græci aplustria dicunt. Trudes autem dicuntur ab eo quod trudunt & detrudunt. Virgilius: Ferrataſque trudes.* Orig. L. XVIII. c. 7. Ipſo *longitudinis* nomine ab aliis *haſtis* diſtinguuntur *conti* præterquam à *trudibus* quæ etiam

ipſæ

ipſæ *contorum* nomine veniebant. De *trudibus* enim verba *Nonii* intelligenda ſunt : *Conti haſtæ longiores & robuſtæ. Virgilius* L. IX. *Ac duris detrudere contis.* Hoc ex ipſo *detrudendi* verbo manifeſtum eſt. Nec tamen minus *contos* agnoſcit ipſo illo in loco *Virgilius*, tametſi his, de quibus loquimur, *contis duriores*, vel *robuſtiores*, ut loquitur *Nonius*. Nam *trudium* uſus erat in re *Nautica* & *Obſidionali*. Nauticos enim *contos ferro* indutos hodieque videmus, in quo *ſpiculum* eſt ad *trudendum*, & *Lunata* illa, cujus meminit *Iſidorus*, ad *attrahendum* quoties videbitur. *Contrarios* ergo motus vocibus illis *trudunt* & *detrudunt* deſignari ſuſpicor, *trudendi* & *attrahendi*. Nam *attrahendo* certe inſerviebat *Lunatum* ferrum, non *trudendo*. Inde neceſſe erat ut ad tam violentos contrarioſque motus commode præſtandos *trudes*, quæ *eadem* erant, qua & conti, *longitudine*, contis *craſſiores* fierent, ut eſſent etiam *robuſtiores*. Sed quid ſibi vult *Græcum* illud nomen *Apluſtria*? Aliam Lectionem *Apleſtria* exhibet *Gothofredus*. Ipſe reponendum cenſet 'Απολήϛεια. Quem in *uſum*, neſcio. Quidni ſcribamus 'Αρπελάϛεια? Nam *rapiendo* inſerviebat *Lunatum ferrum*, & impellendo *ſpiculum*. Quod ergo *ferrum* in *conto* negat fuiſſe *Iſidorus*, non ita intelligendus eſt quaſi *haſta* fuiſſet *pura*, qualis militi bene merenti concedi ſolebat, quum ipſe *cuſpidem conti* agnoverit *acutam*. *Virgilii* fidem hîc ſecutus eſt, qui *trudes*, qua à *contis* internoſcebantur, *ferratas* appellaverat. Illud autem volebat, ni fallor, Poëta, non *puro ferro* armatos fuiſſe *contos*, pro more *trudium*, quæ ad *detrudenda* tantummodo vel ad ea, quæ opus eſſet, *attrahenda*, adhiberi ſolebant ; ſed *chalybe* potius, & *puriori* illo *metallo*, cujus uſus erat in *aciebus* præcipue formandis, ad ϛόμωμα inducendum, unde etiam *acutam cuſpidem* appellabat, ab *acie* nimirum, qua pollebat, optima. Nec enim aliunde quam ab *acie*, appellatio ipſa venit *acutæ*. Meritoque à *ferro* nondum ad illam ἀκρίβειαν redacto diſtinguitur *optima* hujus metalli *temperies* quæ ad *cuſpidem acutam* faciendam conferret. *Acuminis* enim nullus erat, in *conto nautico*, uſus ad *trudendum*, non ad *penetrandum* ap-

tando.

tando. Et vero *contos* inter *arma Bellica* recenſet non *Joſephus* duntaxat, & *Poëta*, verumetiam *Pollux*. Et quidem *Romana*, qua quidem telis *Barbaricis* poſtea recenſitis opponebantur. *Haſtis* præterea *Argenteis* nepotes ſuos ab *Ordine Equeſtri* donatos teſtatur *Auguſtus* in Marmore *Ancyrano*. Hoc ſcilicet *inſigni* illos *Ordinis* ſui Principes agnoſcente. Erant enim *conti* forma *haſtæ* omnium antiquiſſimæ, ut è *Divorum Heroumque* ſimulacris conſtat, & *haſta pura* præmio *Militari*, quæ à *conto*, de quo loquimur, hac tantummodo nota diſcrepabat, quod *cuſpide*, quam in tua *Parma* agnoſcimus, careret *acuta*. Ceterum, quum & *Pila* & *haſtæ velitares* communi *haſtarum* nomine venirent; ita tandem effectum, ut *conti* nomen novum *haſtæ* omnium *antiquiſſimæ*, quaſi jure quodam proprium, adhæſerit.

23. *Parmæ loris* Equitum *brachiis* aptari ſolitæ, Equitum autem *fugientium* in *terga* tranſlatæ.

Pergit *Joſephus* in *Equitum Romanorum* armis recenſendis: Θυρεὸς δὲ παρὰ πλευρὸν ἵππου πλάγιος. Nomen θυρεοῦ *rotundis* præcipue tribuitur, quæ nota *tuæ* quoque *Parmæ* ſatis accurate convenit, quamvis nomen θυρεοῦ *majoris* etiam Diametri *Clypeis* ab *antiquis* quoque *temporibus* attribueretur. *Obliquum* autem & ad Equorum *latera* obverſum fuiſſe neceſſe erat, quum *brachiis ſiniſtris* geſtaretur. Dum nempe *contos* tenerent manus Equitum *dextræ*, dum ſcilicet *eminus* pugnaretur, nondum re ad *gladios* deducta. *Utrique* tamen *lateri* aptari poterat *Parma*, pro *hoſtis* ſitu, ad *femora Equitum* præſertim protegenda, quibus *nulla alia* erat in *Equeſtri armatura* tutela, ne nimio armorum *pondere* in prœlio impedirentur. Quo autem *retinaculo* Parmæ hæ Equeſtres tenerentur, de eo dubitare video viros Eruditos à Te conſultos. *Parmæ* autem tuæ *interiora* etiam *ferramenta* abſumpſit Tempus edax. Ut proinde *retinaculorum* illius veterum cum primævis *ferramentis* veſtigia quoque perierint. Veteris tamen *Parmæ* partem *interiorem* repræſentavit in *Gallo fugiente* medio *Parmæ* tuæ pars *exterior*. Ibi *lora duo* conſpicimus quorum alterum *brachio* Equitis fugientis *ſiniſtro* induitur, alterum ejuſdem *manu* etiamnum tenetur, *brachio* ſupra humeros *elato*. Parmam enim

enim *fugientes* ad *terga* tranſtulerant, ab hoſtibus nimirum *perſequentibus* defendenda. Et modum, quo id effecerint, in tua *Parma* repræſentatum videmus elegantiſſime. *Lora* enim, quæ antea *unius* tantummodo *brachii* cubito induebantur, ita mutabant,ut, verſa in *tergum* Parma, *brachiis ſingulis ſingula* deinceps induerentur *lora*, ut in fugientium *Gallorum extremo* manifeſtum eſt, cujus brachio *ſiniſtro* unicum indui videmus *lorum*. Idque *conatur* ſecundus *Gallus* ut *lorum*, quod ipſe manu ſua *læva* apprehendit, in *brachium dextrum* transferretur, *loro ſiniſtro* poſtea mutando ut *brachio ſiniſtro*, verſa in *tergum* Parma, apte conveniret. Mihi certe veriſimile eſt non aliam *Parmæ formam* in tuæ *Parmæ artificio* repræſentatam quam quæ fuerit *illius*, quam Artifex ipſe tanto ſtudio elaborabat, *Parmæ*. Unicum illud obſtare video, quod *ovalis* figuræ, potius quam *rotundæ*, appareant *Parmæ* in tua *Parma* repræſentatæ. Sed lineæ *Viſuali* illud tribuendum eſt,quæ, quum non ſit ad *viſum* intuentis *recta*, proinde effecerit ut pars *Orbis* aliqua *rectâ lineâ* intuentem lateat. *Deditaque* Artificis *opera* ita factum exinde intelligimus, quod obverſæ in *dorſum* Parmæ *figura* eadem appareat ſimiliter *ovalis*, & quidem *eâdem* viſûs *lineâ*, qua quidem refertur ad *oculum intuentis*. Fieri quidem *poteſt*, imo, per leges *linearum viſualium*, *neceſſe* erat, ut figura eadem *orbicularis*, tam diverſo *ſitu*, videretur tamen *Ovalis*. Non item ut cujus *erectæ* figura re vera fuiſſet *Ovalis*, projecta item & *breviori* Diametro *erecta* etiam appareret *Ovalis*. Hucuſque ergo convenit *Parmæ* tuæ armatura *Equeſtris* cum ea quæ *Neronis* Imperio *exeunte* apud *Romanos* recepta eſt, qualis deſcribitur à *Joſepho*.

Addit autem idem *Judæus* Hiſtoricus : καὶ κατὰ γωρυτοῦ παρήρτηνται τρεῖς ἢ πλείους ἄκοντες, πλατεῖς μὲν αἰχμάς, οὐκ ἀποδέοντες δὲ δοράτων μέγεθος. Jacula illa in *pharetris* portata, quæ cum δόρασιν ab ipſo *Joſepho* conferuntur, omnino *haſtæ* erant *velitares*, quæ etiam *miſſiles* ab Auctoribus fuiſſe dicuntur. Inde opus *multitudine*, quod manu in hoſtem *emiſſæ* abſumerentur. *Septenas velitibus* tribuit *Vale-*

24. Multa *Equitum Romanorum* arma ab Artifice conſultò omiſſa, utpote in *alio* Equorum latere latentia, vel inter pugnandum *abſumpta*, vel *amiſſa*.

rius Maximus L. II. c. 3. quæ *manum*, inquit *Lipsius*, *implebant*. Atqui necesse non erat ut *manu* hastas illas gestarint *Velites*, sed *pharetris* ex *humero* pendentibus, ut solebant tela sua *sagittarii*. Imo ita rem habuisse, ex hoc *Josephi* loco discimus, qui *ternas* ad *minimum* Equitibus assignat *singulis*. Ætate enim eadem erant *Juvenili* tam *Velites*, quam *Equites*, & corporum *agilitate* præsertim utiles. Ergo quæ expeditissimis *septenæ* erant, *Equitibus*, qui aliis erant tam *armis* quam *telis* onerati, *ternæ*, vel paullo plures, sufficiebant. Breviora autem λόγχοις vel *contis* fuisse δόρατα ex hoc eodem loco intelligimus. *Ternorum* enim, vel, ad summum, *quaternorum*, pedum *hastæ* erant *Velitares*, nec sane *longiores* commode ferre poterant *pharetræ* Equestres. Ubinam tamen illæ in *Parma* tua *hastarum Velitarium* missilium *pharetræ*? Nullæ plane, nec earum seu vola, seu vestigium. Nec tamen Parmæ tuæ proinde *præjudicandum* est. Nam & alia multa desunt, quibus nihilominus *Equites*, pro *Romanæ* Militiæ Disciplina, instructos fuisse certum est. Imo sine quibus ne *hæc* quidem, quæ in *Parma* repræsentantur, *arma* utilia esse possent. Ubinam enim *Baltei*? Ubinam gladiorum *vaginæ*? Ubinam *Romanorum* vel *gladii*, præterquam in eo, qui *Equo*, ut ostendimus, *amisso*, *Peditis* partem agit? Non erat illud Artificis consilium, ut *prodeuntis* ad Prœlium, re adhuc salva, nec damno aliquo Prœlii mulctati *Equitatûs arma* repræsentaret. Imo contra, è Prœlio *redeuntis*, vel hostem potius jam profligatum *persequentis*, passique quæ etiam *victoribus* in *prœlio* pati solenne est. *Humi* jacet unus *Romanorum*, occisus. *Humi cassides* & cassidum *insignia*, & *Parma*. Casside nudatur unus è *Romanis* Equo salvo, alius, qui *Peditem* agit, Equo *amisso*. Sed *cristis vexillisque* insignes sunt *Dictatoris* satellites pene *omnes*, in quibus proinde exspectanda non sunt Equitum *Gregariorum arma* omnia atque *onera*; onera præterea sibi *propria vexillorum*, officiorumque *insignia* portantibus. *Gladiis* ipsis ne apparerent obstabat latus *Equitatus sinistrum* intuentium oculis obversum, quum *lateribus* Equitum *dextris gladios* assignarit *Josephus*. *Hastæ* autem

tem *Velitares* prima erant *eminus* pugnantium tela, dum *spatium* esset brachiis circa capita rotandis, quo fortius in hostes intorquerentur, dumque *laxiores* essent accessus & recessus; postea, *cominus* rem gerentibus, & *manus*, uti dici solet, *conserentibus*, non jam telis è manibus *emissis* (unde vox ipsa, *eminus*) sed telis potius quæ, manibus *conjuncta* (unde vox alia *cominus*) vulnera impingebant; tum demum locus erat istiusmodi telis, quæ ne quidem manibus emissa hostes nihilominus attingere, eisdemque nocere potuerint: *Hastis* imprimis, quas *Equitibus longissimas* cum tua *Parma* tribuit *Josephus*; tum deinde *gladiis*, quum *hastæ* ipsæ, propter hostis *propinquitatem*, redderentur *inutiles*. Prœlium ergo in *Romanis medium* tuus repræsentavit Artifex, quo *hostes* in *fugam* convertissent, *exhaustis* hastarum breviorum *pharetris*. Absumptis autem *pharetrarum telis*, inutile erat onus ipsarum *pharetrarum*, & proinde rejiciendum, ut in hostium persecutione fugientium *expeditiores* essent atque *velociores*. Idque in Militari *persequentium* Disciplina receptum fuisse verisimillimum est, ut onera omnia *Equo incommoda*, atque *Equiti inutilia*, utpote moram factura, rejicerentur. Potuit etiam artifex ab earum rerum repræsentatione dedita opera, certoque consilio, abstinere quarum nullus erat, in *Historia* repræsentata, usus. Imo ita rem fuisse exinde credibile est, quod in *Gallis* fugientibus nullos prorsus videamus seu *Balteos*, seu *vaginas*, sed *nudatos* duntaxat *gladios*, & quidem in *manibus* fugientium, quum tamen *utraque* Equitum latera, tam *dextrum*, quam *sinistrum*, apud illos, intuentium *oculis* appareant. Nihil ergo obstat quo minus *utrobique*, tam apud *Gallos*, quam *Romanos*, suæ fuerint hastarum breviorum, prœlium inituros, *pharetræ*, quæ, hoste in *fugam* verso, & prœlio pene profligato, apud *neutros* supersunt. Aptissime autem *Romanis* persequentibus *contos* tribuit Artifex, quo *longiores*, eo ad hostem *fugientem* assequendum aptiores; non autem *Gallis*, quibus incommodi erant in fuga *conti*, tergis in hostem versis. Sunt autem etiam his *evaginati* in *manu gladii*. Ut enim, apud alias quoque gentes, *probro* datum

 est,

eſt, ſiquis *clypeum* è prœlio *non* retuliſſet; ita apud *Romanos*, & proinde apud *Gallos* pro *Romana* Diſciplina militantes, *ignominia* erat ſiquis *gladium* amiſiſſet. Patuit hoc exemplo *Scipionis Africani*, cui, quum elapſus eſſet, in prœlii tumultu, è manu *gladius*, novo ſe *capitis* periculo *gladio* nudatus objecit ne *gladio deſtitutus* ad ſuos reverteretur.

25. *Caſſides*, hoc *Parmæ* Seculo, Militiæ tam *Pedeſtri* quam *Equeſtri* communes. *Thoraces* utrique *lintei*, qui *Romanis Loricæ* appellabantur.

Denique concludit *Joſephus*: Κράνη δὲ καὶ θώρακες ὁμοίως τοῖς πεζοῖς ἅπασι. *Peditibus* ergo, pariter ac *Equitibus*, *Neronis* Imperio *exeunte*, *caſſides* concedebantur. Non tamen ita ut *Galeæ* penitus in *deſuetudinem* abierint. Nam in *Othonis* Armamentario *Galeas* fuiſſe docuit *Tacitus*. De eo tamen impræſentiarum nihil eſt cur laboremus, quia nulli ſunt in *Parma* tua *Pedites*. De eo potius diſquirendum, quod *Thoracas* utrobique *ſimiles* fuiſſe doceat. Eſt quidem θώραξ vox non *Romana*, ſed *Græca*, cui reſpondet *Romana* vox *Lorica*. Videamus ergo quales fuerint, hoc tempore, apud *Romanos Loricæ*, quibus nempe *Pectora* defendebantur. *Cataphractis* quidem, ſub *Gratiano* omiſſis, lapſum *Imperii Romani* imputat *Vegetius*. L. I. c. 20. Quod tamen ita intelligendum non eſt quaſi in *veteri* Diſciplina *Romana* locum habuerint *Cataphractæ*. Vox ipſa *Græca* eſt, *temporumque* in *Barbariem* degenerantium propria, apud *Romanos*. Nam à *Perſis Sarmatiſque Cataphractarum* uſus ad *Occidentem* emanavit. *Vegetio* tamen aliquanto *antiquiores* fuiſſe, etiam apud *Romanos*, ex *Ammiano* conſtat atque *Nazario*, *Alexandro* autem *Severo* recentiores, qui victos à ſe *Perſarum Cataphractarios* memorat in Epiſtola ad *Senatum*. Nec tamen diu, poſt *Alexandrum*, receptæ *Cataphractæ*. Meminit *Aurelianus*. Imo etiam *Decius*, ut ex Epiſtola illius colligere licet, apud *Trebellium Pollionem in vita Claudii* c. 16. Paullo ante *Alexandrum* inſtituta eſt à *Caracalla*, illius, ut ferebatur, Patre *Phalanx Macedonica*, in honorem *Alexandri Magni*, eodem, quo & *Alexander Magnus*, *Thorace*, è *lino triplici*, linteo, teſte, in illius vita, *Dione*. Illum enim *Thoracem Alexandro* etiam *Magno* placuiſſe

docet

docet *Plutarchus*. Non me quidem fugit *Macedonum* moribus (è qua *gente* constabat illa *phalanx*) *lineum* hunc *Thoracem* accommodasse *Caracallam*. Nec tamen *alienos* à *Romanorum* etiam moribus fuisse colligimus hos *Thoraces*, quod prodituro ad cædem *Galbæ* in promptu fuerit *lorica*, quam induebat, *lintea*, ut docet *Suetonius*. *Galb*. c. 19. Et quidem eodem, quo tuus vixit *Artifex*, Seculo. Imo quum jam utrumque *Cataphractarum* genus, tam *hamatarum*, quam *squamatarum*, *Romanis* fuisset satis exploratum. *Metalli* tamen *pondus* pariter atq; *rigiditas* membrorum *flexibus* & *agilitati* incommoda effecit ut antiquissimi *Heroum Homericorum* λινοθώρηκες novis juniorum inventis *anteponerentur* à gentibus in *Bello* versatissimis. Consulto mutavit *Metallicas Loricas* in *lineas Iphicrates*, ut nos docet *Cornelius Nepos*. Elegit cum suis *Macedonibus Alexander Magnus*, & *Thraces*, & *Hispani*, & in ipsa *Italia Falisci*, observante *Lipsio*. Imo apud ipsos etiam *Romanos*, antiquum fuisse usum *loricarum lintearum* exinde constat, quod Ann. U.C. *Catoniano* CCCXIV. scribit *Livius*, *in æde Jovis Feretrii* dedicatam repertamque postea ab *Augusto Inscriptionem in Thorace linteo*. L. IV. 20. Nec enim dubitandum quin è *receptorum* armorum usu desumpta fuerint votivorum etiam armorum exempla. Propius autem habemus his, in quibus versamur, temporibus exemplum in *Tacito*, hoc ipso quoque anno, quo *loricam lineam* sibi ad seditiosos prodeunti induendam censuit *Galba*. Conversis ad *Civile* Bellum *Romanis*, *Roxolanos* ait, *gentem Sarmaticam*, *occasionem captasse Mæsiam prædandi Provinciam Romanam*. Eventu tamen *infelici* propter *cataphractas* quibus usi erant *Sarmatæ*. His *Sarmatarum Cataphractis* facilem *Romanorum loricam* opponit. Hist. I. quæ fuerit illis in illa victoria utilissima. Inde manifestum est, ut *nondum* receptæ erant apud *Romanos Cataphractæ*, ita nec *loricas* ab iisdem *usurpatas* motum *impedivisse*, aut *difficilem* reddidisse, quod tamen necesse erat aliquatenus fecisse *loricas hamatas* atque *squamatas*. Erant autem *linteæ* omnium facillimæ, & ad *Equos*, pro *Romanorum* more, *insiliendos* expeditissimæ. Hoc certe

tempore

tempore quo scripsit *Josephus*, hos suos, quos appellat, θώρακας Militum *Romanorum omnium*, etiam *gregalium*, communes fuisse supponit, *Equitum*, *Peditumque*. Non ita καρδιοφύλακες *Polybiani*. Imo *Cæsaris* ætate *digniores* tantummodo, & ne quidem *Centuriones* omnes, *loricatos* fuisse docet Auctor *Belli Hispaniensis*. Idque verum esse discimus ex ipso *Cæsare*. Multos ille è suis à *Pompeii sagittariis* vulneratos fuisse scribit. *Magnusque* (inquit) *incesserat timor sagittarum*; *atque omnes fere Milites aut ex coactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas, aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent*. Bell. Civ. L. III. c. 44. *Tunc* ergo Milites *fere* omnes *loricis* carebant, & ab eo *deinceps* tempore *fere omnes* earum *usum* didicerunt. Et quidem ex eadem *materia novas* illas *tunicas* fecerunt, vel *tegmenta*, qua etiam constabant *Loricæ*. E *lanis coactis vestes factas* docet *Plinius*, *quæ si acetum adderetur, ferro etiam resisterent*. N. H. VII. 48. Et è *linis* similiter *coactis* similiter confectum *clypeum* omni telo robustiorem in *Isaacii* Historia deprædicat *Nicetas Choniates*. Nec admodum discrepabant *centones*, quos etiam ipsos *aceto* madefacere solebant, ut è *Sisena* colligere licet veteri *Historico*, cujus verba servavit *Nonius Marcellus*. Aderant autem in *promptu* propter usus *Centonariorum Collegii Castrensis*. E *coriorum* autem *loris* nomen ipsum *Loricæ* arcessit *Varro*. En verba: *Lorica, à loreis : quod de corio crudo Pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli è ferro sub id vocabulum ex anuleis ferream tunicam*. L. IV. Ling. Lat. 24. Hîc etiam *Loricam Tunicæ* nomine appellatam videmus. Sed *primævam* hanc *Loricam* cum *Lorica* à *Gallis* inventa confundit *Isidorus* L. XVIII. c. 13. Hic tamen *Loricarum* usus à *Cæsarianis* in Bello cum *Pompeio Magno cœptus* ne quidem *Bello Hispaniensi* ad *omnes*, ut modo vidimus, emanavit. *Nulla* autem apud *Cæsarem* mentio seu *annulorum*, seu *hamorum*, seu *squamarum*. Progressu vero *temporis* ab hoc sub *Cæsare* initio *Militiæ utriusque gregariis* concessæ sunt hujusmodi *Loricæ*, diu postea quam in *desuetudinem* abiissent *Loricæ æneæ Polybianæ*. Itaque à *novo* hoc *Loricarum*, apud *Romanos*, initio

prima

prima illa omniumque simplicissima erat quæ *lino* constabat, & *Tunicæ* formam habebat. Et illius præsertim *Tunicæ*, quæ *Pectoralis* appellabatur, quæque *Talari* opponebatur, *quæ ad talos usque descendebat, & ad pedes defluebat, sicut Pectoralis* (inquit Isidorus L. XIX. c.22.) *quia apud antiquos brevis erat, ut tantum pectus operiret.* Pectori enim defendendo accommodati erant καρδιοφύλακες *Polybiani.* Et quidem tales in tua *Parma* videmus *Loricas, Tunicatas, Pectorales,* nec ullo prorsus *Metallo* rigentes, faciles plane, quales descripsit proximo, post mortem *Neronis,* anno *Tacitus,* & qualem testatur induisse *Galbam.* Tantum abest ut *Cataphractæ* fuerint, ut ne quidem *annulorum* vel *squamarum* in illis appareant vestigia. Ne quidem in *Camillo* Dictatore. Nedum in illius quantacunque dignitate *satellitibus.* Sed nec ullum in *Equitibus* discrimen observavit suo tempore *Josephus.*

26. Etiam *Cataphractæ* erant *linteæ,* à *Romanis* tamen *Loricis* diversæ. Nec *hami* in hac *Parma,* nec *squamæ,* pro *Corbulonis* fortasse Disciplina prætermissæ. Fieri tamen potest ut, una cum *ornatu* Parmæ *aureo,* disparuerint.

Et tamen hoc ipso *Parmæ* tuæ Seculo *hamorum* & *squamarum* & *annulorum* meminerunt in *Loricis Poëtæ* (quorum Testimonia produxit *Lipsius*) *Romani.* In *aliis* autem, quam *sui* Seculi, *Heroibus.* Ipsæ certe *Cataphractæ linteæ* fuisse videntur, è triplicibus *filis* seu *lanis* invicem innexis, qua quidem corporis *truncum* contigerunt, conflatæ, ne corpori *duritie* vel *gravitate* nocerent. His *innexi hami,* seu *annuli,* qui ad superficiem exteriorem *squamas* metalli, quæ & *plumæ* appellabantur, sustinerent, quod aliæ aliis obductæ corpus tuerentur, ad eundem plane modum quo & squamæ *Pisces,* & plumæ *volucres. Loricam trilicem* dicit *Virgilius,* triplicibus proinde *liciis* contextam, quæ *hamis auroque* fuerit conserta. *Hamis* nempe *aureis,* pro eadem, qua idem alibi, forma, *pateris libamus & auro,* in *exteriori* proinde *loricæ* superficie, ne *aureus* loricæ ornatus *lateret. Loricam tortam* dicit fuisse *Lucanus,* quæ *graves catenas* opposuerit. Plane *alienas* à *loricis Romanis,* quarum *levitatem,* hoc ipso *Lucani* Seculo, laudat Historicus gravissimus *Tacitus. Multiplicem Statius, plicaturis* utique constantem, *thoraca,* qui *tenuibus*

bus fuerit *catenis* iteratus. Quod *alium*, propriumque ſibi, *ordinem* catenæ extra *lineos laneoſve Thoraces* haberent, ut in *Re Ruſtica* arationi *primæ* ſuperinducebantur arationes *iterata* atque *tertiata*. Erant autem à *Cataphractis diverſæ* hæ quoque, quarum memoria in *hujus* Seculi Scriptoribus occurrit, *Loricæ*. Corpus enim *integrum* tuebantur *Cataphractæ*. Non item illæ, de quibus agimus, *Loricæ*. Sed Corporis tantummodo *truncum*, pro *Loricarum* officio proprie ita appellatarum. Sic rem fuiſſe docent verba in hanc ſententiam diſerta Statii: *Qua male jam plumis imus tegit inguina venter.* Thebaid. L. XI. *Loricæ* illi hæc conveniunt, quæ *tunicæ brevioris* formam referebat, quæque *talari*, utpote *prolixiori*, opponebatur. Convenit ergo cum proximis *horum* temporum *Poëtis* tua quoque *Parma*. Siqua autem Diſciplinæ Militaris *innovatio* in cauſſa fuerit, cur *hamos* & *ſquamas* & *annulos Loricis* addiderint, quorum *nulla* ſunt in tuo monumento *veſtigia*, habemus hoc ipſo Seculo egregium illius *Diſciplinæ* reſtauratorem, cui innovatio illa aſſignari non abſurde potuerit, *Domitium Corbulonem*. Cœpit ille huic ſtudio incumbere ab ipſo ſuæ *Militiæ initio* ſub *Claudio* anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XLVII°. teſte *Tacito*, Annal. XI. c. 18. & *Dione* L. LX. Maxime vero hoc ipſo *Imperio* (cui Artis excuſoriæ perfectionem aſſignavimus) *Neronis*, Æræ noſtræ *Chriſtianæ* LVIII. quum *Syriæ* præeſſet, *Artis Militaris* gloria celebratiſſimus ſumma illius *peritiæ* Auctoritate polleret. Tum *galearum loricarumque* neglectum Militibus exprobratum ex eodem diſcimus *Tacito*. Annal. XIII. c. 35. Inde anſam ſatis veriſimilem captare potuit *Corbulo* utraſque in meliorem utilioremque formam *mutandi*, tam ſcilicet *galeas*, quam *loricas*. Et quidem *linteas Loricas* ducibus præſtantiſſimis reique *Bellicæ* peritiſſimis magis placuiſſe vidimus, quam quæ *firmiores* alioqui viderentur propter admixtum linteo *Metallum*: *Pares* ſcilicet, teſte *Plinio*, in eo *quod ferro reſiſterent*; in eo autem *ſuperiores*, quod minori *pondere* Equitum *agilitatem* impedirent. Nihil ergo vetat quo minus in eadem fuerit ſententia *Corbulo*. Sed *ferrum* gladiorum

vulgarium

vulgarium videtur intellexisse *Plinius*, non insigni aliquo *stomomate* aciem habentium, nedum *Hispanicorum.* Ita rem fuisse, facit ut suspicemur tua ipsa *Parma. Loricam* enim, qualiscunque fuerit his *Peditibus*, in *Gallo* tuo cæso *dissectam* videmus, ut *viscera* illius *patuerint*, quod in *Macedonas* à gladiis *Romanorum Hispaniensibus* præstitum testatur *Livius.* Non ita facile *dissecandam*, si, præter *linteorum* firmitatem, *hami* etiam & *squamæ* & *annuli* ad vim *gladiorum*, quantumvis *acutorum*, retundendam accessissent. Satis autem apte conveniet *ætas Corbulonis* cum *tempore* à nobis assignato, siquid fortassis in *Disciplina Militari* novi à *Corbulone* fuerit introductum, quod nec *diu* obtinuerit, nec adeo coævis horum temporum *Poëtis* innotuerit. Nec tamen erat necesse, ut *recentiorum*, quique mox in *desuetudinem* abierint, rationem habuerint Poëtæ in *Antiquorum* moribus ad *sui* Seculi normam exigendis. Fieri autem potest ut cum *Aurariorum Argentariorumque* Artificum ornatu *hamorum* quoque *squamarumque* vestigia evanuerint. Imo ita rem fuisse necesse erat, si *superinducto* duntaxat *Auri Argentive* colore *hamorum squamarumque figuras* expresserit Artifex, qui idem Artificium suum *coloribus Metallicis* ornaverit. Hoc innuunt *Virgilii* verba :

> *Loricam consertam hamis auroque trilicem.*
> Æn. III. v. 467.

Ita nimirum intelligenda, ut *Loricam*, de qua loquitur, confecerint *lintei fasciculi ternis* linorum *filis* constantes *aureis hamis* invicem conserti. Pro eadem nempe, ut dixi, forma, qua *pateras & aurum* alibi de *pateris* usurpavit *aureis.* Georg.II. v.192. Et *squamas* quoque *aënas* memorat non uno in loco *Virgilius.* Et *laminas æreas Isidorus.* Quæ *Auri* pretiosiorem nobilioremque, ornatus caussa, *colorem* acceperint. *Auro* porro permistæ *squamæ asperabantur*, teste *Silio Italico.* Inde facile colligimus *aurum* extra squamas *prominuisse*, quod nisi fecisset, *latentis* sub se *squamæ* aut *hami* aut *annuli* (è quibus *catenulæ* constabant) metallum *asperare* non potuit. Ita ad armati *tutelam* spectarit *aurum.* Hoc innuit Virgilius : *duplici squama lorica fidelis & auro.*

Nempe præter *duplicem* loricæ *squamam*, *aurum* quoque *squamis obductum* antea penetrandum fuisse quam ad *corpus* ipsum vulnerandum aditus patefieret, quo *fides loricæ* violanda esset. Sed quum *Parmæ* duntaxat *effigies* exhibenda erat, *externæ* tantummodo *superficiei* ratio habenda erat *Artifici*, qui una eademque opera opificium *ornabat* pariter atque *elaborabat*. Sic *hami aurei* & *squamæ* similiter *aureæ visui* objiciendæ erant, quum *similes*, ex *alio* nihilominus metallo, *figuras* (si quidem tales aliquæ fuissent) sub *suprema Auri* superficie latentes, Inspectoris Intellectui suggerebat. Nec tamen necessario. *Auri* enim lineæ, etiam in *Scriptis Picturisve*, ita per se ipsæ *eminent*, ut *aliam* sub se materiam quam *tabellæ* latentem prodere videantur, propter ipsam *Aureæ laminæ* crassitudinem, quum tamen *chartæ tabulæve* proxime adhæreant. Interest autem magnopere an in materia *Auro substrata*, catenarum squamarumve *figuræ* fuerint *aliæ* similes illis quæ *Aureæ* superficiei *lineis* Inspectoris obtutui objiciebantur. Si enim fuissent, etiam *Auro absumpto*, exspectari potuit ut in *ferrea* quoque, quæ hodieque superest, materia apparerent *similes* cum extremæ superficiei figuris *figuræ*. Nulla autem ratio erit cur illas exspectemus, si ex *Aurearum* linearum *prominentia* Inspectori subintelligendæ repræsentabantur. Nec sane exigebant Rei *Picturariæ* Leges ut *aliæ* aliquæ subessent re vera *Figuræ* quam quæ in *extima* superficie apparebant. Præsertim in *Parmæ* tuæ *Armis* non *veris*, sed *verorum* Armorum duntaxat *simulacris*. Inde autem *ratio* satis verisimilis reddi potest, cur *nullæ* jam compareant, quæ in eadem tamen Parma *olim* (quum ex Aurarii officina nova tum prodiret) *catenarum squamarumve* figuræ comparere potuerint. Ceterum *squamas* illas *Loricarum* veteres non è *stomomate*, sed è *ferro* duntaxat *rudi*, nec proinde *elaborato*, constitisse, Auctorem habemus *Silium Italicum*. Nec adeo est cur miremur *dissectam* illam à gladio *Romani* Peditis *Hispaniensi*.

Etiam

27. *Frenorum* in *Equestribus* prœliis *detrahendorum* usus apud *Romanos antiquus*. Non tamen pro exemplo *Numidarum*.

Etiam *Equos* non *frenis* modo, verumetiam *habenis*, in tua Parma destitutos observamus. Et quidem in Equestri exercitus utriusque *prœlio*. Quasi nimirum hæc quoque *consuetudo* recepta fuisset apud *Romanos*, illo quoque *Seculo* quo saltem vixit Parmæ *opifex*, tam *Legionarios*, quam etiam *Auxiliarios*. Poterat hæc pro *Temporis* nota haberi, si quidem de *Corbulone* illius Auctore constaret, quod sane incredibile non est; vel si aliunde compertum haberemus, fueritne in *Disciplina* Militiæ Romanæ *perpetua*, vel quis illam *primus* in receptam Civitatis Disciplinam *intulerit*. Perpetuam autem *non* fuisse innuunt Scriptores qui eam quasi *Numidarum* propriam agnoscunt, etiam quum res *Numidis* gerenda esset cum *Romanis*. Innuunt præterea qui eam quasi *singulari* observatione dignam censent si quando, re quidem exigente, observaretur à *Romanis*. Ita de prœlio *Regillensi* in *Tarquinios* acerrimo, Florus: *Cossus Magister Equitum exuere frenos imperavit (& hoc Novum) quo acrius incurrerent*. L. I. c. 11. Simile *detractorum* Equis *frenorum* exemplum habet in Bello *Samnitico Valerius Maximus* L. III. c. 2. n. 9. Id quoque pro re *nata*, non autem pro certa aliqua *Militaris* Disciplinæ *norma*. *Erant* enim illis quæ fuerint detrahenda, *frena*, quæ tamen nulla aderant *Numidis*, induenda potius, si res ita postularet, quam *detrahenda*. Rudior autem erat antiqua Militiæ *Equestris* apud ipsos *Numidas* Disciplina quam quæ in tua repræsentatur *Parma* apud *Romanos*. Non *frenis* modo verum etiam *armis* quibus defenderentur, veteres carebant *Numidæ*. Pro *Clypeis Pallia* hostibus objiciebant, ne quidem *galeis* capita tuentibus. Inde *nudos* illos, &, telis emissis, *exarmatos*, fuisse tradit in Bello *Gildoniano Claudianus*. Inde *inermes* eosdem Equites appellat *Livius*. Equos in ipso cursu *rigida* fuisse *cervice, & extento capite*, idem observavit L.XXXV. Plane quales *Romanorum Equos* præsertim in tua videmus *Parma* in hostium persecutione *ferocientes*. Sed *armatiores* in *prœlio*, quod præcesserat, *Cannensi*, anno *Catoniano* 536. *Varroniano* 538. *Numidas* legimus, & qui-

dem eodem teste *Livio*. Sic enim habet: *Numidas*, ait, *præter justa arma telaque, gladios occultos sub loricis habentes, specie transfugarum, quum ab suis Parmas post terga habentes* [ut in *Gallo* tuo fugiente vides] *adequitassent*; *repente ex equis desiliisse, Parmisque & jaculis ante pedes hostium projectis, in mediam aciem acceptos* &c. L. XXII. c. 48. Hîc *justis* Numidarum *armis Parmas Loricasque* accenseri videmus, ne *nudi* deinceps haberentur qui arma corporis *tutelæ* destinata *Romanis* tuis pene *paria* habebant. Unde ergo factum ut eosdem *Numidas* jam *Romanis* militantes *Equites discinctos* & *inermes* idem memoret *Livius* L. XXXV. 11? Annus tunc agebatur Epochæ *Catonianæ* 560. *Varronianæ* 562. Ideone illos, post tot annorum experientiam, *rudiores*; & quum *Romanæ* Disciplinæ tamdiu sub Romanorum *ductu* merentes, assuevissent, à *Romanis* tamen moribus *alieniores* factos existimabimus? *Discinctosne* tum quoque credemus, armisque *defensoriis* ita destitutos quasi tum quoque pro *Parmis* & *Loricis pallia* tantummodo hostibus objecerint? Vidit hoc incommodum sensitque Magnus *Lipsius*. Sed eosdem illos, qui *Livio Numidæ*, *Celtiberos* ab *Appiano* in *Annibalicis* appellatos observavit. Ceterum qui *Equitibus Celtiberis frena* negarit, testem quis idoneum reperit, multis id de *Numidis* verum fuisse testantibus? *Contemptum* autem *de industria auctum* prodit idem ipse loco jam notato *Livius*. Idque è *re* ipsa manifestum est dum ex *equis labi* viderentur, dum *velut impotentes equorum regendorum* [hæc quoque verba *Livii* sunt] *inviti in castra hostium efferri* existimarentur, quum tamen *equos* haberent *obsequentissimos* ipsi etiam in Militia *Equestri* peritissimi. Nec *pallia* hîc hostium telis opposita legimus, sed *discinctionem*. Quod scilicet *zona*, ut videtur, seu *cingulo*, *Militari* caruerint, quo *Lorica*, ad cautiorem corporis *tutelam*, fuerit corporis ipsius *trunco* constringenda. Ita segnitiem incuriamque *simulabant*, ut ab hostibus contemnerentur, nec hostibus constaret ecquam haberent sub *discincto* habitu *occultam* corporum *armaturam*. Non est ergo unde colligamus, aliter in hoc prœlio *Numidas*,

quam

quam in *Cannensi* fuerant, *armatos*. Nec vero *Celtiberos* fuisse qui fraudem *Romanis* in prœlio *Cannensi* fecerint, exinde colligimus, quod anno superiori, *Catoniano* 535. *Varroniano* 537. gens illa *Celtiberorum* cum *Romanis* Pacem inierint, & quidem datis obsidibus, *Livio* teste L. XXII. c. 21. firmarint, & *Carthaginiensem* in *Hispania Provinciam cum valido exercitu* invaserint. Effecit *Pax* illa ne quis *Celtiberorum* civium suorum injussu sub *Annibale* mereret ne *fidei* à *Patria* datæ *violatæ* reus haberetur. Et *sui Juris*, atque extra *Carthaginiensium* in *Hispania Provinciam* fuisse *Celtiberos*, quum in *Italiam* moveret *Hannibal*, ex hoc *Livii* loco discimus. Ita è *Celtiberis Hannibali* milites conscribere ne quidem *licuerit*. Nec me tamen fugit *Celtiberos* in *Hannibalis* exercitu à *Silio* memorari, illis nimirum Libri III. verbis :

Venere & Celtæ sociati nomen Iberis.

Ita *obsides* habuerint apud *Hannibalem* eodem tempore quo *obsides* concedebant *Scipioni*, & quo *Provinciæ Carthaginiensium* arma inferebant, quod quanto suorum *periculo* fuerit luendum nemo non videt. *Res* ipsa facit ut *Livio* potius credamus quam ipsi *Silio*, nedum paullo juniori *Appiano*. Sic loquitur *Silius* quasi *tota* tunc in *Pœnorum* fide fuisset *Hispania*. Quod tamen erat, *Livio* teste, falsissimum. A *Numidis* ergo ad *Romanos* fortasse emanarit effrenium Equorum, quod in *Parma* tua videmus, exemplum. Dixi *fortasse*, quia Bello *Punico* primo antiquiorem illius moris usum jam ostendimus. Fieri tamen potest ut ad *antiquiora* cum *Pœnis* commercia, quæ *antiquissimis fœderibus* à *Polybio* memoratis ansam dederint, referendus sit. *Excultiorum* autem fuisse *Numidarum*, qui *Parmis* fuerint & *Loricis* instructi, tua docet *Parma*.

Perpetuum autem non fuisse, saltem apud *Romanos*, è prædicto constat exemplo proximis à *Regifugio* temporibus, ubi è re *præsenti* natam illius occasionem fuisse constat. Sic item anno *Catoniano* 572. *Varroniano* 574. *effrenatis*, *Flacci* jussu, *Equis*, *Celtiberorum cuneum* fregere *Romani*. Addit Livius: 28. Non tamen fuit apud *Romanos perpetuus.*

Quod

Quod sæpe Romanos Equites cum magna laude fecisse sua memoriæ proditum est. L.XL. c.40. *Cunei* hostilis occasione hîc quoque *frena* detracta legimus. In *more* fuisse ut deinceps detraherentur, non legimus. Majorem gravioremque impressionem *equorum*, quum *calcaribus* in propinquum hostem admoverentur, fuisse consentaneum est. Et *manus* præterea *ambæ telis* vacabant mox in hostem usurpandis. Impetum fortiorem fuisse necesse erat quum nullam impetus equi irruentis partem *frena* cohiberent. Hæc *effrenatæ* impressionis commoda. Contra, multa erant equorum *sibi* permissorum *incommoda* quæ obstabant quo minus in *perpetuum* intermitteretur *frenorum* usus, qualis erat *Numidarum*, apud *Romanos* Rei militaris longe peritiores quam fuerint *Numidæ*. Et proinde *propiora* habemus *Parmæ* tuæ temporibus exempla; è quibus constat *tum* quoque *Numidis* proprium fuisse, non item cum *Romanis* commune, ut Equos *frenis* destitutos in *Prœliis* adhiberent. In Bello *Gallico Equites frenatis Equis in stationibus disposuit Cæsar* L. VIII. c. 15. quo *promptiores* essent ad *res subitas* præterque exspectationem gerendas. In Bello autem *Africano Numidas Equites Equo frenato* uti condocuit Dux *Pompeianus*, c.19. Non ita facturus nisi *alienum* illum morem à *Romanorum* Disciplina *Numidarum effrenes* Equos adhibentium, *nec* ab eadem Disciplina *probatum*, intellexisset. Sic iterum *universum Equitatum Numidarum Getulorumque sine frenis* se movisse testatur ejusdem Belli *Africani* Scriptor, cui *Labieni* Equitem *frenatum* opponit c.61. Inde credibile est receptum adhuc apud *Numidas* morem obtinuisse, ne *frena*, nisi pro rei natæ *exigentia*, adhiberent, ut apud *Romanos* vicissim receptum est, ne, nisi exigentibus *circumstantiis*, frena *detraherentur*. Hos enim *Pompeianos Numidas frenorum* usum *edoctos* fuisse modo observavimus. Hucusque ergo, nempe ad ætatem *Julii Cæsaris*, *frenorum usus* erat apud *Romanos* in *Equestris* Militiæ Disciplina vulgo receptus, *detrahendorum* scilicet, pro Ducis prudentia, Belli *casu* ita exigente, non item *addendorum*. Et ad *Augusti* ætatem affectam pertigisse, innuunt verba *Livii* modo recensita.

Sæpe

Sæpe enim *Romanos Equites cum magna laude frena detraxisse* docent. Nempe *detracta* hîc legimus, non *induta*, frena, ut facile inde intelligamus, etiam quum *detraherentur*, pro *recepto* nihilominus more *adfuisse*. Non certe omissurus si, quum ipse hæc commentaretur, mos tandem obtinuisset apud *Romanos*, ne *frena* in *Prælio* prorsus adhiberent. Sub *Augusto* etiam de *Numidis* observavit *Maro*, tanquam *alienum* à receptis *Gentium* moribus, *suæ* imprimis, quod fuerint, ut ipse loquitur, *infreni*. Æn. IV. v. 41. Sed intelligi hoc ita fortasse potest, quod *frenorum* usum omnem penitus respuerint. Quod fuerit gens *inscia freni Silio*, *frenorum nescia Lucano*. Hoc certe de *Romanis* hujus *Seculi* vere dici unquam potuisse, omnino incredibile est. Etiam quum *arcum* intendens *manus* ambas occupatas haberet Imperator *Gratianus*, *habenis* tamen, non *virgis*, pro more *Numidarum*, usum in illius *Panegyrico* ostendit *Ausonius*. *Frenorum* autem consuetudinem sub *Domitiano* apud *Romanos* frequentissimam fuisse discimus è *Statio*. *Frena* ille si minus pro *Equitibus*, saltem pro *Equis* usurpavit *Thebaid.* VII. v. 432. Incongrue profecto, si passim fuissent in re *gerenda* Bellica sine *frenis Equi*. Idem præterea Thebaid. XI. v. 244. hæc habet verba: *frenis adsultat & hastis*. Ubi ut *hastæ* pro *copiis* ponuntur *Pedestribus*, ita *frena* pro copiis similiter *Equestribus*. Absurde sane, si, præterquam in *casibus* Belli *rarioribus*, nulla fuissent *Equis frena*. Ceterum à *receptis* sui Seculi moribus de *Camilli* temporibus conjecturam tuus fecit Artifex, ut supra vidimus. Idem si hoc in loco observarit, *frena* in Militia *Romana Equestri prætermissa* fuisse oportet quum in hoc insigni monumento occuparetur. *Prætermissionis* Auctor potuit fuisse *Corbulo*. Ita fiet ut in arctiores contrahatur limites tuæ *Parmæ* ætas, ut nec *antiquior* fuerit *Nerone*, nec *recentior Domitiano*, sub quo scripsit *Statius*. Potuitque adeo *frenorum* usus à *Vespasiano* revocari vel *Tito*, ducibus Belli peritissimis. Mihi tamen aquam hærere fateor, itane se res habuerit. Fieri potest ut in eo cum *Gallis* prœlio *frena* detraxerit *Camillus*, idque ex *antiqui* cujuspiam Historici

rici *verbis* disertis tuus didicerit *Artifex*, quæ caussa esse potuit ut hunc saltem *antiquum* morem in *Parma* retinendum censuerit. Ægre tamen ita *rem* fuisse ex iis, qui hodieque exstant Veterum monumentis, colligemus. Ait quidem Livius Camillum *omnia, quæ arte Belli secunda suis eligi præpararive poterant, providisse.* L. V. c. 49. Poterat inter hæc locum *frenorum detractio* habere (cujus usum *Romanis* antea innotuisse diximus) si in solo *semirutæ Urbis*, & *natura inequali*, *Equos* suo potius *impetui* quam sessorum *moderamini* permittendos arbitraretur, ne è duobus motibus invicem permistis, in loco præsertim *lubrico* & *ancipiti*, confusio aliqua orietur, magnorum infeliciumque præter exspectationem eventuum ansam præbitura. De *loco Prælii* suffragatur etiam *Plutarchus*: ἐν οἰκίαις, καὶ στενῷ, καὶ χωρίοις δέξασθαι παράταξιν οὐ δυναμένοις. Reliqui *alibi* rem gestam narrant. Utinam exstaret accuratus aliquis vetustusque hujus Prœlii descriptor, qui sigillatim illius *minutias* fuisset persecutus. Ita forsitan intelligeremus quæ fuerint illa *Camilli provisa*, & quæ provisorum *rationes*, & num inter provisa *frenorum detractio* locum habuerit. Cur *Gallis* similiter tuus attribuerit *Artifex*, in *caussa* esse potuit, quod in *Gallica* acie enarranda eandem diligentiam non adhibuerit quam in *sua* gente *Romanus* Historicus.

29. *Senex* ille *Barbatus inermis* qui aciem *Romanam*, spatio interposito, sequitur, *Romanorum Fecialis* fuisse videtur. *Duo* autem illi, simili fere habitu, pone *Brennum*, *Patres* erant, fortassis *Gallorum* alter, alter *Romanorum*, *Patrati*.

Sed quis ille demum fuit, inquies, senex promissa bárba venerabilis, qui aciem *Romanam*, interposito tamen *intervallo*, comitatur? *Dei* certe nullius *insigne* præfert, nedum *Martis*, cujus nec *currum* videmus, nec *ensem*, nec *clypeum*, nec *galeam*, nec generis cujuscunque *telum*. Imo *inermis* incedit, habituque *Pacifico*, quique ad *venerationem* excitandam, quam *terrorem* incutiendum accommodatior est. *Sacerdotali* aliquo Ordine insignitum fuisse verisimillimum est. Veniebant hîc in mentem *Romanorum Sacra* ad Urbem *Cæretanam* missa, *Gallis* ingruentibus, rursusque *Romam*, post victoriam *Camilli*, reportata. Sed ubinam *Vestalium Virginum* Sacris illis præfectorum *currus*? Num ergo *Pontificem* arbitrabimur cui illas *subditas* fuisse

fuisse certum est? Illas nempe, clausis vehiculis mox secuturas, antecedentem? Atqui nec *Pontificiæ* dignitatis ullum hîc indicium agnoscimus. Ne quidem equo insidentis, qualem iconem exhibuit *Gutherius.* Nec, nisi *Bello* penitus *profligato*, *Virginibus* opportunum erat ut in sedibus patriis *Sacra* patria reponerent. Ego potius *Fecialem* fuisse arbitror, *Sacerdotem* etiam ipsum, *Sacris*, quæ *Paci* cum *hostibus* ineundæ peragenda erant, operaturum, & proinde, ut *Sacerdotem Pacis* oportebat, *Sacro* & *Pacifico* habitu amiciendum. *Camillum* hîc *Dictatorem* sequitur, munere suo functurus siqua *Pacis*, honestis conditionibus coalituræ, spes affulsisset. Erat enim *Camillus Religionis*, siquis alius, observantissimus. *Fecialem* fuisse è *velo* colligo *Sacerdotalis* muneris insigni, quod *capiti* ejus imminere, vento, ut videtur, agitante, observamus. *Capite* enim *velato* incessisse, quum ad *hostes* propius accessisset, scribit *Livius.* Et quale illud fuerit *velamen*, mox exponit: *filum* (inquit) *lanæ velamen est.* L. I. c. 32. *Fili* nomine *vittam*, *Græcis* ταινίαν vel μίτραν vel λῶμα, intelligit, apud *Sacerdotes* inter *capitum* ornamenta receptissimam, ut è *Glossis* constat *Labbæanis.* Et quidem *senes duos* huic simillimos, post *Brennum*, videmus, *barbatos* etiam ipsos & pariter *inermes*, velamine tamen illo *capitum* nudatos, quod *proprium* videtur fuisse *Fecialium.* Hos *Patres patratos* fuisse crediderim *Brenni* Sacra violantis *testes*, & pro sua quemque gente sollicitum. *Brennum* enim Regem *fœderis* temeratorem *respicit* alter, alter suos, non sine aliqua, ut videtur, indignatione, *Romanos.* *Jurisjurandi* enim *exigendi* Jus penes *patrem patratum* erat, non autem ipsum *Fecialem.* Quod tamen rite exigere non licebat nisi *Patri Patrato* à *Feciali* ad hoc munus designato. Hinc *nominis* ipsius rationem arcessit Livius. *Pater patratus* (inquit) *ad jusjurandum patrandum, id est, ad sanciendum fit fœdus.* L. I. c. 24. Interim observatu dignum est, ne huic quidem *Equestri Feciali* ullum esse *frenum.* Inde manifestum est non *militum* duntaxat in *acie* rem gerentium *proprium* fuisse, pro tui *Artificis* consilio, quod *frenis* caruerint.

K Fieri

Fieri ergo potest ut eadem, quæcunque demum ea fuerit, ratione *frena* prætermiserit monumenti conditor, qua & alia quoque prætermisit, quæ tamen aliunde verisimillimum est *Romanis Equitibus* manum *conserentibus* non defuisse, pro illius Seculi, quo vixit Auctor, *Disciplina Militari.* Pro eodem scilicet *exemplo*, quo singulis *unicum* tribuit tantummodo *telum*, quibus tamen plura fuisse, nec unius *generis*, ex *Historiis* habemus exploratum. Pro eodem, inquam, exemplo, quo nec *vaginas*, nec *pharetras* repræsentandas censuit. Nihil tamen illud obstat quo minus, pro *antiquiorum*, & *suo Seculo* coævorum, exemplo, prætermiserit. Vix enim in *medii* Temporis Historiis, nedum *recentioribus*, *Equestres copias* reperiemus, quæ sine *frenis* prœlium commiserint. Nedum inter *gentes excultiores* artiumque ingenuarum studiosas. Apud *Antiquos* autem, quos imitaretur habebat. Rectius ergo *Parmæ* tuæ *Antiquitatem*, quam *Novitatem*, ex hac ipsa quoque affectatione colligemus.

30. *Nuda* pene ad *humeros Equitum brachia Antiquitatis* Argumenta sunt.

Simile & illud *Antiquitatis* Argumentum est, quod *brachia* hîc *Virorum* omnia ad *humeros* usque *nuda* videamus. Erat enim hoc apud *Veteres* * receptissimum, præsertim *Romanos*, *& in omni Latio*, observante *Gellio*, Noct. Att. L. VII. c. 12. Imo, si aliter fieret, in *viris indecorum.* Eo refert verba *Scipionis*, qui hoc *probro* dedit *Sulpicio Gallo homini delicato*, quod *in conviviis Adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica accubuerit. Chiridota* enim *tunica* eadem erat cum *manuleata*, quæ ad *manus* usque vel *digitos* pertingebat. Eadem *macrochera* apud *Lampridium* in *Alexandro Severo.* Eodem retulit *Gellius Virgiliana* illa: Æn. IX. v. 616.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

quibus ille *tunicas* istiusmodi, quasi *femineas* & *probrosas*, criminatur. *Phrygias* enim potius quam *Phrygas* appellandos esse censet qui illas usurpabant. Idem *Ennium Carthaginiensibus tunicatam juventutem exprobrasse* docet, uti etiam *Nonius* c. XIV. *Tunicæ* nomine simpliciter acceptæ *manuleatam*, sive *manicatam*, intelligens. Sic enim *Nonius* ad verba *Plauti* in *Pseudolo*: *Manu-*

Manuleatam tunicam habere hominem addecet. Et iccirco (inquit) *manuleatam addidit, ne improprie uteretur.* Sic item *Cicero Catalinaria* II. *manicatas & talares tunicas* improperat. Adeo indignas viro *forti & militari* (quales in tua videmus *Parma*) *manicas* censebant *Veteres.* Inde illud Senecæ: *Apud me vero Epicurus est & fortis, licet manuleatus sit.* Contra *feminis* decoras visas esse *manicas* ostendit *Gellius*, ut earum *ulnæ adversus oculos protegerentur.* Et tamen λευκώλενον *Junonem* laudat *Homerus.* Ut fortasse recentioris, quam *Homerus*, fuerit *Antiquitatis* illa quoque *feminarum* consuetudo. Nec à *brachiis* olim abstinebant *plangentes*, si recte memini, *mulieres.* Utcunque postea *mulierum* viceversa pene *proprium* est, quod antea *proprium* fuerat *Virorum*, ut ad *cubitum* usque *brachia nudata* habeant. Non ita olim *Pythagoræa*, quæ πῆχυν καλὸν sibi gratulanti respondit, ἀλλ' οὐ δημόσιος. Nec *nupera* illa est consuetudinis *mutatio.* Perspicua sunt in hanc sententiam verba S. *Augustini.* Sic enim ille: *Talares & manicatas tunicas habere apud Romanos Veteres flagitium erat. Nunc autem honesto loco natis, quum tunicati sunt, non illas habere flagitium est.* de Doct. Christ. L. III. c. XII. 20. Inveteraverat ergo *tum* quoque *Colobiorum* (sic enim *tunicas non manicatas* appellabant) usus, præterquam in *Ascetis.* Imo *contrarius* plane usus apud eosdem obtinuit *Romanos nobili loco natos*, quibus *tunicas non manicatas* non habere *flagitium* erat. Par illi scilicet *dedecus* quod *tunicas* antea *manicatas* usurpantibus fuerat exprobratum. Ita se res habebat in *nobilioribus.* Et *Populo* quoque *Romano tunicas albas manicatas ex diversis Provinciis* donavit *Aurelianus*, teste *Vopisco* in vit. c. 48. Et *tunicas asemas* vel *macrocheras ex purpura non magna ad usum revocavit suum* Princeps *Disciplinæ* observantissimus *Alexander Severus.* Lamprid. vit. c. 33. Nullum ergo, hac saltem *ætate*, *tunicarum manuleatarum* probrum. *Barbaras* quidem *Commodi chiridotas Dalmaticas* vendidit auctione *Pertinax.* Capitolin. c. 8. Hæc *tunica illa* χειριδωτὸς in qua *Commodum* à se *salutatum* scribit *Dio.* L. LXXII. quam nota

hac perstrinxit *Pertinax*, ut viro *Principe* indignam & infamem. Veste enim *Militari salutationes* fieri solebant, ne, qui *salutarentur*, *privati* esse viderentur. *Cassiodor*. L. VI. Var. in forma *Vicarii Urbis Romæ*. Similiter & *Caracallæ* probro datum, quod, quum nec *æstum* amplius, nec *arma ferre posset*, *tunicas manicatas*, *ad loricæ formam* quodammodo factas, indueret, ut quum absque *pondere armorum* esset, tamen *esse* videretur *armatus*, nec peteretur *insidiis*, & *admirationi* esset. Ita *Dio*. Recte autem ad *loricæ* formam factas observavit illas *tunicas*, ut videretur *armatus*, quum & *loricas* ipsas *tunicarum* nomine venisse jam viderimus, quales in tua conspicimus *Parma*, non tamen *manicatas*. Similiter in *Caio Caligula* notavit *Suetonius*, quod *manicatus* & *armillatus in publicum* processerit. Antea hæc præfatus: *Vestitu calceatuque, & cetero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano, semper usus est*. c. 52. Hoc ergo ipso *Caligulæ* ævo, *male* audiebant *tunicæ manicatæ* in *Imperatoribus*, quos militibus *exemplo* esse oportebat. Quod tamen non obstabat, quo minus adhuc, etiam sub *Nerone*, obtinuerit, in *Disciplina Militari* recepta, præsertim à *Corbulone* restaurata. Ipsa illa *Caligulæ* ætate *antiquior* esse non potuit Gemma illa *Tiberii* tum *Divi*, in qua Viri Principes *armati brachiis* ultra *cubitum nudis*, pro tuæ *Parmæ* exemplo, repræsentantur. Nec ab *eadem* ætate longe abesse poterat Gemma *Augusti* similiter *Divi*, Principes exhibens similiter *armatos*. Poterat tamen *Caio* utraque paullo fuisse *recentior*, dum Imperio gens potiretur *Julia*, quæ ab utroque *Augusto* pariter ac *Tiberio* communem originem trahebat. Postea *novæ* erant, quæque cum *Julia* gente nihil affine habebant, in *Imperio* familiæ, nec adeo de *Juliæ* gentis gloria sollicitæ. Ut proinde ad *Juliæ* gentis *Epocham* has *gemmas* referendas esse sit plane verisimillimum. *Gellii* tamen *ætate* passim obtinuisse *tunicas manuleatas* locus illius modo à me prolatus innuit. Dum enim *paullo vetustiorum* sententias de illis *tunicis* duriores observatione dignas censet, id eo fine & consilio fecisse videtur, ut intelligeretur quanta fuerit ab *antiquiori*

quiori sanctiorique Disciplina *sui Seculi* defectio. Nec *militiæ* modo, verumetiam *domi* & in *conviviis* indecoras olim fuisse *tunicas manicatas* ostendunt verba *Scipionis Æmiliani* in *Sulpicium Gallum* objecta à *Gellio* servata. *Gellio* ergo *Parma* tua *antiquior* est, quem Nos sub *Hadriano natum*, sub *Antonino* autem *Pio* scripsisse alibi ostendimus, Vol. I. Geographorum *Hudsonianorum* Diss. V. de *Ariani Peripl.* Mar. *Euxin.* §. 10. *Caligula* autem Imperante, quæcunque demum fuerit in *moribus* degeneratio, sententiam tamen *generosiorem* viguisse receptamque fuisse, quæ viris *fortibus* & *militaribus* indignas *tunicas manicatas* esse censebat, è prædictis facile colligitur. Hoc palam indicant verba *Senecæ*, *fortis licet manuleatus*. Et quod in ipso *Caligula* reprehensum fuerit, quod *manuleatus* in *publicum* processerit. Sic item *Cæcinæ Vitellianarum* partium duci vitio datum, si quidem de *Chiridotis* illius intelligendus sit in *Othonis* vita *Plutarchus*. His ergo etiam temporibus *male* apud *viros Militares* audiebant *manicæ*. Nec sane in *exercitum* ignominiam tantam irrepsisse his *temporibus* verisimillimum est, sub *Corbulone*, sub *Vespasiano*, aut *Trajano*, aut etiam *Hadriano*, Disciplinæ *Militaris* studiosissimis excultoribus. Quæ tamen mutatio *postea*, nec *magno*, ut videtur, interposito temporis intervallo, secuta est.

[31. *Colobia Monachorum* à *Militarium colobiorum* (eo quo *Monachi* cœperunt *Seculo*) exemplo *non* emanarunt.]

Erant quidem & *Presbyteris* & *Monachis* sua quoque *colobia*, sive *tunicæ non manuleatæ*. Et quidem à *Militari* Disciplina desumpta, si *Dorotheum* audiamus. Huc Abbatis illius verba illa traduxit *Albertus Rubenius* L. I. *de Re Vestiaria*, c. 18. Ἔχει δὲ τὸ κολόβιον ἡμῶν σημεῖόν τι ποτε πορφυροῦν. Τί θέλει εἶναι τὸ σημεῖον τὸ πορφυροῦν; Ἕκαστος στρατευόμενος τῷ βασιλεῖ πορφύραν ἔχει εἰς τὸ χλανίδιον αὐτοῦ. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ βασιλεὺς πορφύραν φορεῖ, πάντες οἱ στρατευόμενοι αὐτῷ βάλλουσι πορφύραν εἰς τὰ χλανίδια αὐτῶν· τουτέστι τὸ βασιλικὸν ἔνδυμα, ἵνα διὰ τούτου δείξωσιν, ὅτι τοῦ βασιλέως εἰσί, καὶ ὅτι αὐτῷ στρατεύονται. Οὕτω καὶ ἡμεῖς λαμβάνομεν τὸ σημεῖον τὸ πορφυροῦν εἰς τὸ κολόβιον ἡμῶν, δεικνύοντες, ὅτι τῷ Χριστῷ ἐστρατεύθημεν καὶ χρεωστοῦμεν ὑπομεῖναι ὅλα τὰ παθήματα αὐτοῦ ὅσα ὑπέμεινεν δι᾽ ἡμᾶς. Sic ille *Doctr.* I.

Hæc

Hæc ſi vera, ita conſequetur, ad IV. uſque, quo *cœpit* Monachatus, *Seculum*, adhuc in *Militia Romana* uſum perſtitiſſe *colobiorum*, contra quam didicimus è S. *Auguſtino*. Nec enim,ſi jam olim in *deſuetudinem* abiiſſent, *exemplum* inde capere potuit *nova* tunc temporis *Monachorum* inſtitutio. Atqui certe habitui *Militari quieta colobiorum ac pænularum veſtimenta* opponunt Imperatores Cod. *Theodoſ.* L. XIV. Tit. X. l. 1. quæ *Senatoribus* intra *mœnia* agentibus indulgent, quibus tamen *habitu Militari*, & chlamydis terrore interdicunt. Proinde ex hoc ipſo loco conſtat, de *Militia* non *armata*, ſed *Palatina* & *Comitatenſi* intelligenda eſſe verba *Dorothei*. Erant quidem *Monachorum Colobia* in eo *Militaribus antiquioribus* ſimilia, quod *vix* ad *cubitorum ima* pertigerint, teſte *Caſſiano* L. I. *de habit. Monach.* c. 5. Inde intelligimus non Ἐξώμιδας fuiſſe, quæ *humeros* etiam ipſos *nudos* reliquerint, ſed *tunicas* tantummodo *non manuleatas*, *nec manibus arctas*, *nec brachiis parcas*, ut loquitur in Libro de *Pallio Tertullianus*. Quod vero *purpureis* interpolarentur *clavis*, hoc in alia præterquam *Palatina Militia* locum habere vix potuit. Itaque quum eadem hæc *colobia*, quæ *Militaria* olim fuerant, jam quieta haberentur, & proinde *Pacis veſtimenta*, qua ſcilicet habitui *Militari*, & *chlamydis terrori* opponebantur; inde manifeſte ſequitur, apud *Milites* ipſos, illo certe Seculo,penitus obſoleviſſe. Et proinde *antiquiorem* tuam eſſe *Parmam* in qua *Milites colobiis* induti repræſentantur. Ita ſcilicet ſe res habebat anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* 382. quo illud à *Chriſtianis* Principibus editum eſt Reſcriptum. Nec adeo temere de ſua ætate idem teſtatus eſt S. *Auguſtinus*. Paullo tamen poſtea, quum *priores* de *Chriſtiana Doctrina* Libros ſcripſerit *Epiſcopus* ante *Retractationes*. Nec vero legimus *recentiori* aliquo Seculo intermiſſa olim à *Militibus* in *Militum* uſum fuiſſe revocata. Contra in *Scanderbego* tanquam *ſingulare* fuerit, obſervatum eſt, quod *brachio nudo*, vel *unico*, prœliari ſit ſolitus. Ecquis inde non intelligat quam *rari* illud fuerit exempli, ætate *Scanderbegi*? Quam fuerit Antiquitatis *Camillo* coævæ *imperitus* Artifex

tifex tuus, *sui* licet studii *peritissimus*, exinde vidimus, quod *Gallis* etiamnum *hostibus* communia cum *Romanis arma* attribuerit. Inde collegimus ad sui temporis exempla *Parmam* ab eo fuisse elaboratam. Idem proculdubio facturus si *recentioribus*, multisque ab *Augusteo Imperio exstincto* Seculis ipse vixisset. Quis autem dabit *vultuum brachiorumque* in *Equitibus pugnantibus nudorum* exemplum in *illis*, de quibus loquimur, *Seculis*? Multo autem difficilius fuisset mores *Romanorum* excultissimis *Augustorum* temporibus florentium exhibere, quam fuisset, siquis sub *Augustis* Artifex mores *Camillo* pares repræsentare vellet. Supererant sub *Augusto scripta* quoque *monumenta Camillo* paria, quibus fretus *Livius* certiorem à *capta Urbe*, copiosioremque Historiam pollicetur, quam *mediis* illis *Barbarisque* Seculis suppetebant de rebus *Neronianis*, *Neronive* proximis. Hoc certe manifestum est ex illorum temporum *Historicis* tam *Civilibus* quam *Sacris*, qui *pauca* advocant superiorum proximorumque *Historicorum* testimonia. *Epitomis* fere jejunisque *Collectaneis* delectabantur. *Nummorum*, *lapidum*, *statuarum*, *gemmarumque* usum in Veterum *vestimentis* explorandis pene nesciebant. Luculentissime vero hoc è Commentitiis *Martyrum* Actis compertum habemus, hac præsertim *Historiæ* superioris imperitia se prodentibus. Qui coævos *Camillo* mores ad normam morum expressit *Romanorum* sub *Augustis* receptorum,is idem si *junior* ipse temporibus fuisset *Augusteis*, mores similiter *Neronianos*, ad *medium Barbarumque* Seculum, quo vixit ipse, cur dubitemus quin fuerit pariter exacturus, *ætatemque* suam, hoc ipso indicio, *proditurus*?

32. *Saguli*, seu *Sagi proprie* ita dicti, nomen ad *femoris* tegumentum spectabat, in quo locus erat *Gladii*, hoc *Seculo* Artifici à *nobis* assignato.

Loricas porro, quales in tua videmus *Parma*, in Militia *Romana* usurpatas, illo præsertim *Seculo*, cui tuum assignavimus Artificem, satis, nisi fallimur, probatum dedimus. Non *manuleatas* quidem, sed *tunicatas* tamen; nec *Exomidas*, quæ humerum *alterum nudum* reliquerint, quo *fibula* locum habitura fuerit, laxiori apertiorique vestimento sustinendo destinata. Alias proinde à

Palliis,

Palliis, seu *Chlamydibus*, seu *Paludamentis*, seu *Sagochlamydibus* quæ *Sagis Chlamydibusque* constabant invicem *annexis*. Et quidem *Temporis* notam, ut existimo, ex hac Observatione lucrabimur. *Cæsaris* enim ætate *rariores* erant inter Milites *loricati*. Ita scilicet ut *loricatos Centuriones* tanquam insigniores & *primariæ* in suo ordine *dignitatis* memoret. Et quidem in Bello ejus omnium ultimo, *Hispanico*. Nondum ergo passim receptus erat in Militia *Romana* usus *Loricarum*. Tuus autem Artifex ducem ipsum *Camillum* eadem, qua & reliquos è grege *Equites*, *Lorica* armavit. Atqui *Paludamentum* summi in Exercitu Imperii Insigne *Pallium* fuisse, Græcis *Chlamydem*, *Romanumque Sagum*, agnoscunt Viri Eruditi, & passim invicem confundunt. Quod quidem facile ferri potuit dum *unum* idemque vestimentum conficeret cum *Pallio*, *Chlamyde*, vel etiam *Paludamento* connexum *sagum*; vel etiam quum *nullum* inter vestimenta *Militaria* locum haberent *Loricæ*. Tum enim *Pallio Tunicæ loricatæ*, siqua fuerit, injecto, mox appendi oportebat *sagum*. Nec tamen ἰσοδυναμοῦσης fuisse significationis cum *Sago Chlamydem* è voce composita *Sagochlamys* discimus. Imo nec *semper* cum *Chlamyde* annexum fuisse, quum etiam *exterioris* Vestimenti *Militaris* compositionem ingrederetur. Idem, ni fallor, ostendit distinctio inter voces *Sagum* & *Sagulum*, quæ tamen apud Scriptores satis frequens est. Nec enim credendum est, quoties de *Sago* indefinite sermo est, nulla *Militis*, cui fuerit accommodandum, mentione, *staturæne* fuerit *prolixioris*, an *brevioris*, de *Sago majori* vocem esse semper intelligendam. Facilis est suspicio, *sagula* fuisse *sigillatim* sumpta *Saga*; *Saga* vero fuisse quæ in unum cum *alio* vestimento coalescentia communi, cum *Vestimento*, cui annectebantur, appellatione veniebant. Et quidem è voce composita *Sagochlamys* illud præterea colligimus, *partem* illam *communis* Vestimenti quæ *Chlamydi* opponebatur, *Sagi nomine* proprie accepto intelligendam esse. *Humeros* autem tegebat *Pallium*. Sequitur ergo ut partem vestimenti *inferiorem* suppleverit *Sagum*, seu *Sagulum*, quod *Sagi* seorsim accepti nomen erat.

erat. Hoc Nos docet in *Augusti* vita *Suetonius*, quo loco de *Centurione Cornelio* agit, minas Senatui, ni *Augusto Consulatum* decrevissent, intentante. *Rejecto* (inquit) *Sagulo, ostendens Gladii capulum, . . . Hic faciet* [ajebat] *si vos non feceritis.* c. 26. De *Sagulo* loquitur, ne de *Sago* proprie ita dicto intelligendum ambigamus, *capuli* tegumento. *Gladii* enim locus vel in *latere*, vel in *femore*, ut mox ostendemus. Eodem spectant verba *Trebellii Pollionis* in *Saturnini* vita: *in convivio discumbere Milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis jussit, hyeme gravibus, æstate perlucidis.* Est & aliud exemplum Consularis *Q. Cæcilii Metelli*, qui rem gessit cum *Celtiberis*. In eo Bello *Q. Cotio* se dedidit *Piresius nobilitate ac virtute Celtiberos omnes præstans.* Verba sunt *Valerii Maximi.* Modum autem *deditionis* ita narrat: *Nec erubuit* (inquit) *flagrantissimi pectoris juvenis gladium ei suum & sagulum, utroque exercitu spectante, tradere.* L. III. c. 2. *Exempl. Rom.* 21. Hinc etiam apparet in *sago* proprie sic dicto, quod seorsim *Sagulum* appellabatur, locum fuisse *gladii*, qui fuerit proinde cum *Sagulo ipso* tradendus, quod à *Sago* pependerit. Nihil enim habuit cum *Chlamyde* commune *Celtibericum* illud *Sagum. Appianus* in *Ibericis*: χρῶνται διπλοῖς ἱματίοις παχέσιν, ἀντὶ χλαμύδων, αὐτὰ περιπορπώμενοι· καὶ τοῦτο Σάγον ἡγοῦνται. Dum *Chlamydum* vicem *Saga* illa supplevisse docet, illud una innuit nullas fuisse illis, qui *Sagis* illis utebantur, *Chlamydes*. Sed *duo* in *Sagis* illis ἱμάτια fuisse ostendit, quæ tamen ambo communi *Sagi* nomine *unius* intelligenda fuerint. Idem autem *Sagum duplicatum*, quo firmius esset ad *ejusdem Membri* ictus repellendos, nisi fallor, *non* intelligit. Ambobus enim *suam* cuique *fibulam* assignat, quod sane necessarium non fuisset ad vestimentum *idem* tantummodo *duplicatum* sustinendum. *Sagorum* ergo horum *duplicium* superius *Chlamydis* proprie ita dictæ munus præstabat, qua scilicet *Chlamys* à *Sago* illi annexo secernebatur, & ad *Pectoris* tutelam pertinebat. *Inferius* autem *partes* tuebatur *pectore* ipso *inferiores*. Sic autem ut *propriam* haberet *fibulam*, ne *Sagum* superius *pondere* suo gravaret. Ita

factum ut cum *gladio Sagulum Romano* Adversario tradiderit *Piresius*, qui ex *una* cum *Sagulo fibula* pendebat, qua soluta *gladius Sagulum* sequebatur. *Sagulum* inquam, non *Sagum*. *Brevius* enim fuerit oportet *Sagum* illud *inferius*, quum ad *imum* usque *ventrem* pertingeret *Thorax* vel *Pectorale*, seu *Lorica* fuerit, seu *Pallium*, seu *Chlamys*, seu quo *alio* nomine appellaretur. Tunc enim *genua* superare per *Romanos* mores non *potuit*, quum *infames* essent in *viris Tunicæ talares*. Et quidem ita se res habet in *Parma* tua.

33. *Loricæ*, non *Pallio*, subjecta sunt horum temporum *Sagula*. Sic tamen ut *Saguli* nomen *Superhumerali* etiam *Sago* attributum fuerit.

Nec sine *Veterum* exemplo, finis *Loricæ* ibi ponebatur, quam Nos *Tunicæ* formam retulisse probavimus, non *Pallii*. Sic inter munera Regi *Mesanissæ* à Senatu missa *sagula purpurea duo* cum *fibulis aureis singulis* legimus apud *Livium* L. XXX. c. 17. In usum scilicet *Militiæ Pedestris*. His enim *bina Equestria arma* cum *loricis* opponunt verba ejusdem *Livii* sequentia. Itaque tum quoque in *Equestris Militiæ* usu erant *Loricæ*. Ut proinde singulis *Saga* etiam *singula* fuerint, seu *Loricis* in *unum* Militare Vestimentum *annexa* fuerint, seu *propriis* ipsa *fibulis* ab *Equitum lumbis* pependerint. Sed *loricas Paludamentorum nomine* venisse vix, ut opinor, legimus, uti nec *compositam* aliquam vocem è qua discere liceret in *alius* cujuscunque *generis* vestimenti *Militaris* mixti constitutionem coaluisse *Loricam*. *Sagochlamydes* quidem sub *Claudio secundo* illius nominis Principe, quasi tum demum, post longam *desuetudinem*, in usum revocatas. Apud vetustiores, dum nondum invicem secernerentur *Chlamydes* atque *Saga*, ne quidem *vocis* illius *compositæ* usum reperimus. Tum quoque *fibulatoria Saga* legimus. Nec enim *fibulis* opus erat ad *Sagorum* annexionem *propriis*, dum *Superhumerali Pallio*, vel *Chlamydi*, in *unum* coalesceret. *Medio* ergo spatio interciderat *compositi Vestimenti* memoria, quum *novo* & *composito* vocabulo opus esset ad *idem Vestimentum* designandum, quum *res* ipsa *vetustior* in usum *Militiæ recentioris* quasi è *postliminio* revocaretur. Atqui, quum fugeret è prœlio *Actiaco Antonius*, *sagum* illius, cujus

cujus meminit Horatius in Epod. IX. de *Chlamyde coccinea* interpretatur vetus *Horatii* Interpres *Porphyrion.* Anno fcilicet U. C. *Varr.* 723. Et *tunicatos* difcinctofque milites *ignominiæ* loco habuit *Auguftus.* Suet. *vit.* c. 24. Erat quidem *Lorica Tunica*, fub qua tamen *alia* quoque *Tunica* fubeffe potuit, pro more *Romanorum*, qui veftes *interiores*, quas tamen fimul *plures* habebant, communi *Tunicarum* nomine appellabant. Potuitque adeo *Lorica* exuta *aliam* nihilominus *Tunicam* poft fe relinquere. Tale autem *operimentum* hoc in loco intellexit Auctor, quod una fecum *Zonam* quoque *Militarem* fuftulerit, cui accingi folebat *gladius*, qui *Sagulo inferiori* accingi folebat, ut proinde *Sagulo* etiam fibi *appenfo Militem* mulctarit. *Pallium* nimirum, feu *Chlamys*, vel potius *Sagochlamys*, quamvis *vox* illa *nondum* obtinuerit, ante reftauratum *Sagochlamydis* ufum. Proinde poft *Augufti* ætatem exoleverant iftiufmodi Sagochlamydes quæ fub 2°. revixerunt *Claudio.* Et quidem ita revixerunt, ut, *novitatis* cauffa, *novo* fuerint *nomine* infignienda, *majoribus* incognito. Utcunque tamen nec *Palliatos*, nec *Chlamydatos*, & ne quidem *Paludatos*, ut opinor, legimus. Multo minus *Sagoloricatos*, aut *Sagothoracatos*, aut alio quovis vocabulo appellatos, quo indicaretur in *unum* cum *fuperiori* veftimentum coaluiffe eorum *Saga*, in *Militia Equeftri.* Imo ne quidem *plura Equitibus Saga* attributa facile reperimus, quorum *fingula fibulas* habuerint fibi *proprias.* Imo *fibulata Sagula* aliena à moribus *Romanorum* tertio quoque Æræ *Chriftianæ* Seculo fuiffe conftat. *Unicum* ergo *Sagulum* intelligendum eft, & quidem *inferius*, quoties de *Militia* agitur *Equeftri.* Alioqui qui *bina* fimul *fagula* ufurpabant, & *binis* adeo opus habebant, quibus invicem annecterentur, *fibulis*, *Sagi* nomine *utrumque* complecti poterant, fic tamen ut *fingulis* fuerint nectenda *fibulis.* Erat enim & *Superhumerale Sagum*, cujus *fibula* in *humero* nectebatur, ad morem *Pallii* vel *Chlamydis.* *Silius Italicus*, L. XVII.

——Humeris imponit honorem
Fulgentis Saguli.——

Ubi *hoc* quoque *Sagum*, quum de eo seorsim ageretur, diminutiva *Saguli* forma intelligitur. Sic item *Trebellius Pollio* de Zenobia, *Imperiali Sagulo perfuso per humeros usam fuisse* testatur *Trig. Tyr.* c. 30. Quis non facile intelligat quam apte *mediis* hisce temporibus conveniat illa, quæ in *Parma* tua repræsentatur, *Militiæ Equestris Armatura*? Nec enim hîc videmus, quales fuerant, sub *Augusto*, *Chlamydes in Pectoris* tutela, nedum *Chlamydibus* annexa *Saga* quæ, voce composita, *Sagochlamydes* recte fuerint appellanda.

34. Horum temporum *Loricæ* ultra *imum ventrem* non pertingebant. Non ad *femora* quibus accingebantur *Gladii*. *Aliæ* tamen à *Persarum Mandyis Loricæ*.

Nobis res est cum *Equitibus* qui in tua hac soli comparent *Parma*. Hos autem *Neronianis*, proximisque *Neroni* temporibus, *Loricatos* fuisse jam probavimus. Sic item de coacto agmine sub *Caligula Suetonius*: *sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est.* vit. *Cal.* c. 15. Inde *tropæa* vetera *Cassidum* cum *Thoracibus* in transverso ligno, seu *Loricis*, quibus successerunt, quum scriberet sub *Adriano Juvenalis*, Cassides cum *Bucculis*, sive *Clypeis*. Atque ita *Tropæa* videmus in *Nummis* plerisque etiam *Consularibus*. Raro admodum, si fortassis *unquam*, in illis *Sagula* cum *Palliis* quibuscunque connexa observamus. Nescio, an in *Spoliis*, ubi præcipue exspectanda erant, *opimis*, quum res cum hostium *summo Imperatore* gereretur. Ne quidem in Gentis *Claudiæ* Nummis, quum tamen istiusmodi *Spolia* de *Viridumaro Gallorum* Rege retulerit *M. Claudius Marcellus*. Reliqua *exempla antiquiora* sunt quam ut in *Nummis* exspectari possint *antiquissimis*, nempe *Consularibus*. Sed vero *Lorica*, qua *Tunica* erat, *clausa* erat, non, ut *Pallium*, *aperta*, ut *fibulâ* opus haberet *superhumerali*, qua constringeretur. Et *Pallium* ne quidem admittebat, nisi *superinjectum*, quo casu *Loricæ* armatura futura erat *inutilis*. *Loricam* ergo sub *veste* usurpabant quibus ab ignotorum hostium *insidiis* metus immineret. Sic de *Augusto Suetonius*: *æstimatur lorica sub veste munitus*. vit. c. 35. ὑπὸ τῇ στολῇ *Dio* L. LIV. Utroque nominê *vestis* designatur *exterior*, seu *Pallium* fuerit seu *Toga*, *Græcis* ἱμάτιον, quod χιτῶνι *opponebatur*, quum tamen

tamen χιτῶσιν accenſerentur *Loricæ* horum temporum *linteæ*. Alii ergo *loricati* à *Palliatis*, ſeu *Paludatis*, ſeu *Chlamydatis*, quum tamen *utriſque* commune fuerit *Sagum*. *Inferius* ſcilicet tantummodo, non *ſuperius*, quod ab *humeris* incipiebat, & in humero *fibula* nectebatur. Plane tale quale tua in *Equitibus* ſuis repræſentavit *Parma*. Plane tale quale in *Titi* militibus, ſub *Veſpaſiano* tamen *Patre*, deſcribit vetus Auctor, qui ſub *Hegeſippi* nomine Bellum *Titi Judaïcum* narravit, quem S. *Ambroſium* fuiſſe opinatur *Gronovius* Pater, morum *ſuavitate* pariter atque *Eruditione* laudandus. Sic enim habet in ipſius *Titi* perſona, milites ad prœlium hortantis: *Progredimur in Bellum muniti undique. Tegitur galea caput, lorica pectus, totumque clypeo corpus.* L. III. c. 24. Ad *imum* vero *ventrem* pertigit *Lorica*. Statius:

——— enſem germani in corpore preſſit,
Qua male jam plumis imus tegit inguina venter.
Thebaïd. XI.

Male tegi inquit, quod illo ipſo in loco deſierit tutela *Loricæ*. Similiter & *Gallorum* χιτῶς χειειδωτῶς, quos χιτῶσιν opponit, explicat *Strabo*, duplici, ut videtur, nomine, tam quod fuerint *manicati* ſive *manuleati*, quam quod χιτοὶ fuerint, quum *clauſæ* undique fuerint *loricæ*, *tunicæque* proprie ſic dictæ. Has autem *Celtarum* qualeſcunque *Tunicas* eodem pertigiſſe ſcribit *Geographus*, quo Nos *Loricas* pertigiſſe jam oſtendimus, μέχει αἰδοίων καὶ γλετῶν. Et quidem inde *incipiunt* Equitum tuorum *Saga*. Geogr. L. IV. Recte, & pro more veterum *Romanorum*. Is enim locus *gladii* qui ſub *ſagulo* latebat, ut jam ſupra oſtendimus. A *femore* enim pendere *gladium* mos erat apud antiquiſſimos, non à *latere*. Ita de *Achille Homerus* Il. I. v. 190. Φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηρῦ. Nec aliter in *Sacris Literis* Exod. XXXII. 27. Pſ. XLV. 4. Cantic. III. 8. Inde & *ſagum* in *dextro femore* memorat vetus Interpres Judic. III. 16. Imo *ſubter ſagum gladio accinctum Ehudem* idem docet Interpres. Nos ſub *ſagulo gladium* latuiſſe probavimus. Sed quod *Latino* Interpreti *Sagum* appellatur, illud *Græco* eſt Μανδύη. Vox *Perſica* eſt, & *veſtis* ea voce ſignificata proinde *Perſica*. *Suidas* λωείκιον

inter-

interpretatur. Quasi vero *contractius* illud *Sagum*, quod proprie *Sagulum* appellabatur, ea voce denotaretur. Sed corpus *universum* ab illis *Mandyis* defensum fuisse verisimillimum est, quibus *subinde mutatis* se ab *imbribus* vehementissimis tuebatur *Domitianus*, qui reliquis plerisque *fatales* erant, quibus discedendi veniam negavit Princeps malignissimus. Et quidem *tegumentorum* munus obibant Interpretis *Latini Saga*. Sic appellantur *opertoria Tabernaculi*. Exod. XXVI. 7, 8, 9, 10, 12, 14. XXXVI. 14, 15, 17, 18. Sed *Cilicina* erant illa *Saga*. Exod. XXVI. 7. De *pilis* scilicet *caprarum*. Exod. XXXVI. 14. Hæc enim *Cilicia Arabibus* nuncupata testatur *Isidorus* Etym. XIX. 26. Nempe *velamenta pilis caprarum contexta, ex quibus sibi tentoria faciebant*. Hunc enim in usum inter *donaria Israëlitarum* Tabernaculo conficiendo necessaria *pilos* quoque legimus *caprarum*. Exod. XXV. 4. XXXV. 23, 26. Nempe in hunc finem, ne quid damni κτ̀ τὴν ὁδοιποιΐαν sive ὑετȣ̃, sive κονιορτȣ̃ pateretur *Tabernaculum*, ut Nos docet *Josephus* Antiq. III. c. 10. *Græc.* p. 88. B. Ed. 1696. *Extremum* enim *tegumentorum* omnium erat, *aërique* maxime objectum, quod è *pilis caprinis* conficiebatur, & in *tentoriorum Militarium* usum conversum Expeditionum incommodis, quæ ab *aëre* imminebant, ferendis opportunissimum. Idemque apud Veteres Μανδύης nomine intelligebatur. Sic in Glossis *Caroli Labbæi* Μανδύη, *Impluvia*. Nec alias Μανδύας à *Domitiano mutatas* credibile est *imbrium* violentiæ arcendæ. Non tamen illud obstabat quo minus pro *vestimento* etiam *Militari* usurpata fuerit vox eadem Μανδύη apud *Græcos* Veteris Instrumenti *Septugintavirales* Interpretes. Imo ita usurpatam fuisse manifestum est, in aliis præterea ejusdem *Canonis* locis præter illum quem adduximus de *Ehude*. Ita 1. Sam. XVII. 38, 39. XVIII. 4. 2. *Sam.* XX. 8. Hoc autem discrimine, quod *supra Zonam Gladium* accinxerit *David* 1. *Sam.* XVII. 39. & *extra Mandyam Zonam* gesserit *Joabus*, 2. *Sam.* XX. 8. quum nihilominus *sub zona gladium* accinxerit *Ehudes*. Ad eundem plane modum quo *sub Sagulo Romani*. Sed vero dedita opera hoc fieri potuit

ab

ab *Ehude*, quod locus ille *obscurior* insidiis in *Eglonem* paratis esset opportunior. Sic tamen ad *truncum* corporis defendendum pertinuerint veteres illæ *Orientalium Mandyæ*, nec vicem suppleverint tantummodo *femoralium*, quod fecerunt *Romanorum Sagula*, proprie ita appellata, quæ Veteri *Latino* Interpreti, rem è *Seculi sui* more æstimanti, obversabantur, quum *Græcam Mandyen Latino Sago* vertendam existimaret. Erat præterea & aliud discrimen inter *Mandyas* proprie sic dictas & *Romanorum Saga*, qua Corporum partes *superiores* pariter atque *inferiores* tuebantur *Saga*, in *materia* positum, è qua *Mandyæ* atque *Saga* conficiebantur. *Cilicinas* enim, & è *pellibus caprinis* constitisse *Mandyas Persicas* è modo dictis colligitur. Contra, *lanea Romanorum* fuisse *Paludamenta* vel *Chlamydes*, quæ *Sagorum integrorum* nomine veniebant, docuit *Ferrarius* de *Re Vestiaria* Part. II. L. III. c. 12.

Nobis autem de *minoribus* illis *Sagulis* agendum est quæ *femora* partesque ventre *inferiores* defendebant. Horum enim formam in tuo videmus monumento. Sed *Loricis* subnexorum, non autem cujuscunque generis *Palliis*. Nec occurrunt in *marmoribus*, vel *Nummis*, vel *Gemmis*, veterum *Pallia* quibus hujusmodi *Saga* quæ *gladios* complectebantur, qui *Zonis* continerentur, subjunctis tamen, aut quæ *composita* aliqua voce denotabantur, unde partium *superiorum inferiorumque* saltem discrimen intelligeretur. Et tamen *Sagum* cum *Paludamento* idem fuisse volunt Viri Eruditi recentiores, nec ullo invicem discrimine apud Scriptores passim usurpari. Fieri hoc fortasse potuit dum *Sagi superioris* laxiorisque, quod *Loricæ superinjiciebatur*, usus tantummodo obtineret, nondum appenso *Sagulo inferiori* quo *femora* tegebantur, dumque illud solum *Sagi* nomine passim intelligeretur. Hoc enim facile *brachio*, pro more Seculi *nudo*, obvolvi potuit. Ita factum ut *Metellus Consul*, & proinde *Paludatus*, telum in *Sago*, id est, *Paludamento*, exceperit, quæ *Hirtuleio* in *brachium*, nullo *Pallio* obtectum, veniebant. Ita *Sallustius* apud *Nonium*.

35. *Sagi* forma in *Parma* expressa, *Zona* infra *Sagum* cum *Gladio* latitante, earum omnium, quæ *Loricis* subnectebantur, *simplicissima* est, ideoque, ut videtur, *antiquissima.*

Quum

Quum ſcilicet *Hirtuleio* nullum ſuppeteret *Pallium* quo *brachium* ille ſuum tegeret. Sed *gladius* tunc à *Balteo* pendebat, qui more *Heroico* temporumque *antiquiſſimorum* ab *humeris*, non à *Zona*, aut *cingulo*, quo *medium* corpus ambiebatur, ipſe pependerit. Sed antea jam in *deſuetudinem* abierat mos ille *Balteorum ſuperhumeralium* quam reciperentur *Sagula femoralia*, ſuccincta *Zonis* ſeu *cingulis*, quæ vicem eandem præſtabant in *gladiis* ſuſtinendis quam *olim* præſtiterant *Baltei*. Effecit hoc ut, quum in *Balteorum* ſuccederent munus, *nomen* quoque *Balteorum* aliquantiſper conſequerentur, licet *alium*, quam *Baltei*, *locum* occuparint. Nec tamen diu *Balteorum nomen* retinuere *Zonæ*, quum apud paullo ſeriores Scriptores *Zonarum Cingulorumque* nomina,quum de his *ſuperſemoralibus* agitur *Zonis*, multo frequentiora ſint quam *Balteorum*. Revixt tamen apud *ſeros* Poſteros eodem, quo apud *Veteres*, *munere* & *loco Balteus ſuperhumeralis*, abolitis *Sagis* aliiſque omnibus *Veteris* Diſciplinæ *Romanæ Militaris* vocabulis *Technicis*. Difficile autem eſſe fateor *tempus* accurate deſignare quo *primum* cœperint *Artificis* noſtri *Saga femoralia* cum *gladiis ſuccinctis* potius quam *accinctis*. Et tamen *Opifice* tuo *ætateque* illi à Nobis aſſignata *antiquiora* fuiſſe docent quæ Nos hactenus obiter protulimus. *Hac* autem ſaltem *ætate*, quum in Urbem ingrederetur *Vitellius*,manifeſtum eſt. Sic enim de illius introitu Suetonius: *Introiit*, inquit, *paludatus*, *ferroque ſuccinctus*, *inter Signa atque Vexilla*, *Sagulatis comitibus*, *ac detectis commilitonum armis*. vit. Vitell. c. XI. *Succinctura* illa niſi de illa quæ *ſub Sago femorali* erat *cinctura* intelligi vix poteſt. Non certe de ea quæ à *ſuperhumeralis Baltei* cinctura pendebat, quanquam etiam illa ab *Imperiali Paludamento* occultaretur. *Detecta* autem *commilitonum arma* ex illo *Centurionis* exemplo intelligimus, qui, in ipſo *Senatu*, quum de *Conſulatu Auguſto* concedendo dubitaretur, *detracto Sagulo gladii capulum* oſtendit, interminatus ni *Senatus Auguſto Conſulatum* decreviſſet, *gladio* ipſum, quantumlibet *invitis* qui repugnabant, extorturum. Simile habemus exemplum in *Cæcina* duce *Vitelliano*. De

quo

quo verba *Taciti* hæc ſunt: *Ornatum ipſius mancipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant, quod verſicolore Sagulo, braccas tegmen Barbarum indutus, togatos alloqueretur.* Hiſt. II. 20. In eo erat *ſuperbiæ* nota, quod *Sagulum* χειριδωτὸν, manuleatum utique non *Romanum*, *bracca* texerit non *Romana*, ſed *Barbara*, & quod *ſagatus* ipſe *togatos* alloqueretur. *Armatus* ſcilicet habitu *Pacis* indutos. *Femur* ergo texit *Sagulum* pariter ac *Gallorum braccæ*, à quibus hodiernum *femoralium* nomen emanaſſe creditur. Saltem *pars* illa *Saguli* quæ *gladio* inferior erat. *Gladio* enim evaginando incommodum fuiſſet ſi partem *Saguli texiſſet* etiam *ſuperiorem.*

36. Alia ad eandem *Antiquitatem* aſſerendam Argumenta.

Et quidem *Saguli* forma quæ in tua hac apparet *Parma*, omnium, ni fallor, ejuſmodi *Sagulorum*, quæ ad partes ventre *inferiores* ſpectabant, *ſimpliciſſima* erat, ut proinde etiam *antiquiſſimam* credi fas ſit. *Plinius* de *Druidum* viſco: *Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit. Falce aurea demetit. Candido id excipitur Sago.* Nat. Hiſt. XVI. 44. Non poſſunt hæc niſi de *inferiori Sago* commode intelligi, quo excipiendus fuerit viſcus ab arbore demeſſus. *Zonam* hîc *Sago* ſuperimpoſitam nullam videmus. Nec proinde *pugionem Parazonium*, qui in illa *ſuperiori Zona* locum omnibus patentem habebat, nec adeo *receptus* fuiſſe videtur antea quam *ſuperiorem* Sago locum *Zona* occupaſſet. *Latet* autem ſub *Sago Zona*, in tua *Parma*, pro horum temporum, ut jam vidimus, exemplo, ut *gladius Zonæ* annexus ſimiliter latebat. Et *Pugiones Gladiis* recentiores agnoſcit *Lipſius*, quum nulla *Pugionum* apud *vetuſtiores* hac tua *Parma* Scriptores exſtet mentio, quæ tamen apud *recentiores* frequentiſſima eſt. His enim *Zonis exuere* tantundem valebat ac *Militia exuere*, etiam *Palatina*. Hujus *Zonæ* figuram, ſupra *Sagum* cinctæ, cum *Parazonio* exhibet *Tabula* à *Ferrario* deſcripta Part II. L. III. c. 8. in qua *Paludamentum Imperatorium* ita *humero* ſuperjectum eſt ut nec *Loricam* nec *Sagulum* abſcondat, nec ullum prorſus cum *Sagulo* nexum habeat. Et tamen hunc ipſum *Pugionem*, inſigne *Poteſtatis*, uti mos erat, dedit *Trajanus*, teſte probo *Au-*

relio illo *Victore* qui scripsit de *Cæsaribus*. Mos ille, qui sub *Trajano moris* appellationem obtinuit, *post* tuum *Artificem* cœperit necesse est, qui ne quidem *Zonas Sagulis superiores* agnovit, quibus illi inserebantur *Pugiones*. Ne quidem in *primariæ* dignitatis *Dictatore*. Nec enim in aliis mos ille obtinuisse videtur qui *cœpit* ante *Trajanum*. Inde intelligimus *Trajano* aliquanto *antiquiorem* fuisse tui monumenti *Opificem*. Παραμήριος autem idem dicitur fuisse *Pugio*. Inde etiam intelligimus *femori* propinquum fuisse, qui *Sagulo* imminebat, quod *femur* texerit. Et *unius plicaturæ* sunt *Parmæ* tuæ *Sagula*, etiam in *summæ* dignitatis Ducibus. Quod tamen *brevi* postea immutatum est. Sed post tempora *Hadriani* in cujus *Nummis simplices* tantummodo reperimus plicaturas. Pro exemplo *Nummorum* plerorumque *Consularium*. Alibi *duplices* occurrunt. Sic tamen ut earum *infima* ultra *genua* non pertigerit, qui *tunicarum virilium infimus* erat *modus*. Recte admodum, quum *Tunicæ Loricatæ*, non autem *Chlamydis*; appendix fuerit *Sagulum*, ut ex aliis apparet, præter tuum, monumentis. In prædicta certe *Imperatoris Paludati* effigie *Ferrariana Paludamentum fibula* dextro *humero* affigitur, vestimentis aliis omnibus *superinjectum*, non *Sagulo* tantummodo *duplici*, verumetiam *Loricæ*. Sic tamen ut nec cum *Lorica*, nec cum *Sagulo* nexum aliquem habeat, ut cum *Sagochlamyde* affine quippiam habere videatur. Inde colligimus Principis fuisse tua quidem *Parma* junioris, antiquioris tamen *Sagochlamydibus*. Qui nempe *Pugionem* habuerit *Parazonium*, nullo interim instructus *Gladio*, nisi forte *gladio* munitum arbitremur qui sub *Sagulo* latuerit. Sed *Gladius*, potius quam *Pugio*, in *insigne* honoris deligendus erat, siquem gessissent in *propatulo Gladium*, ut gerebant *Pugionem*, etiam *extra* Prœlium. Sed & aliud est præterea inter *Parmæ* tuæ *Sagula* & *Principis* vel *Ducis Ferrariensis Sagulum* discrimen, quo *Parmæ* tuæ *Antiquitas*, præ *Principe* illo, quicunque demum is fuerit, *major* asseratur. In *Parma* tua *Sagula continua* sunt, & *fimbriis* superne & inferne invicem connexa, ut explicata *oneribus*, quæcunque ne-

cessaria

cessaria videbantur, excipiendis sufficerent. Inde *ludus* ille lascivientium in *Pace* virorum *Militarium*, nocte vagantium, qui *obvios* quosque, seu *invalidos*, seu *potulentos sagis* suis impositos in *sublime* jactabant. Quod quidem tui *Artificis ætate* à nobis designata receptum est. Inde illud *Martialis* :

Ibis ab excusso missus in astra Sago. L. I. Ep. IV. 8.

Ita ille sub *Domitiano.* Cœpit autem *ante* Domitianum idem ille *ludus*. Observatus ab ipso, uti fertur, *Nerone*. *Neronis* tamen *Imperio* antiquior. Similiter enim lusit Adolescens *Otho* Suet. *vit.* c. 2. cujus *Adolescentia* in *Claudii* Imperium incidit, *antea* quam *Nero* Imperium adipisceretur. Conveniunt etiam cum tuæ *Parmæ Sagulis Sagula* in *Nummis Hadriani.* Contra *Sagulum Imperatoris Ferrariani* in *lacinias* finditur, quarum singulæ *proprias* sibi annexas habent Appendiculas. *Ineptum* proinde admodum *jactandis* in *astra* hominibus. Quantum porro distat Parmæ tuæ *Lorica* à *Thoracomacho* Libelli de *Rebus Bellicis*, qui *Notitiæ Imperii utriusque* subjungi solet, utpote sub eodem *Theodosii junioris* & *Valentiniani* III. Imperio confecti? *Vestimenti genus* appellat *quod de coactili ad mensuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis timoris sollicitudo solertiâ Magistrâ composuit.* Hæc tua est *Lorica* quam providæ Posteritatis *Antiquitati* tribuit. Omissis tamen *hamis* & *squamis*, inutilibus profecto, quum alia, super hanc Loricam, *Lorica* vel *Clibanus* induceretur. Sequitur enim: *ut hoc inducta Lorica vel Clibanus, aut his similia, fragilitatem corporis, ponderis asperitate, non læderent: membra quoque vestientis inter armorum hyemisque discrimen, tali solatio adjuta, labori sufficiant.* Hæc inventa postea quam telis *gravioribus* repellendis *Loricas* veteres è *lana* tantummodo *coactili* confectas cum *hamis* & *squamis* non sufficere experti essent. Hoc vidit tui Artificis ætate *Galba*, nondum inducta *Lorica Metallica*. Agnovit & *Pausanias*, qui sub *Marco* scripsit *Antonino* Philosopho. Inde inducta primum *Lorica Metallica*, tum deinde *Clibanus*, & alia illis similia. E tot inter *Loricam* & *Thoracomachum* gradibus facile colli-

gimus ne quidem *breve* temporis fuisse spatium quod inter utrumque fluxerit. Secundus autem post *Loricam Metallicam* gradus *Clibani* memoratur, qui tertio post *Christum* Seculo etiam apud *Romanos* obtinebat. Certe sub *Aureliano*, teste in illius vita *Vopisco* c. 14. Sic item antea, Imperante *Valeriano*, ut ex ipsius Epistola ad *Aurelianum* data constat vit. *Aurelian.* c. 11. quo loco Cataphractarios memorat etiam Equites. Etiam ante Valerianum. Imperante *Decio*. Sic enim habent verba *Decii* de *Claudio*, in Ep. ad *Messalam*, referente *Trebellio Pollione* in vita *Claudii*: *Dabis* &c. *ex Cataphractariis centum, ex Equitibus centum & sexaginta* c. 16. Quo loco *Cataphractarii Equitibus* opponi videntur. Reponit ergo *Salmasius* è superiori loco, quo *Equitum Cataphractariorum* fit mentio, hoc etiam in loco: *ex Cataphractariis Equitibus centum & sexaginta.* Sed nihil est necesse, quum potuerint ex *utroque* Militum genere alii fuisse *Cataphractarii*, quibus *sumptus* suppetebat, dum *Sociis* deessent, propter inopiam, *Cataphractæ*. Sic enim, *Cæsaris* ætate, *Centuriones non* omnes *Loricatos* fuisse vidimus. Sic item scribit, ante *Decium*, *Alexander Severus*: *Centum & viginti millia Equitum fudimus*; *Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in Bello interemimus, eorumque armis nostros armavimus.* Lamprid. in vit. *Alex.* c. 56. Quo etiam ex loco *non* omnes *Equites Cataphractarios* fuisse colligimus. Uti non apud *Persas*, ita ne quidem apud *Romanos*. Aliter nulli fuissent apud *Romanos*, qui *spoliis* ex hoste captis armarentur. Nec tamen *alienas* fuisse à *Romanorum* moribus *Cataphractas* inde etiam constat, quod hostium *exuvias* in usus *suos* victores converterint *Romani*. Illud præterea ex hoc loco intelligimus, qui *Clibanarii* erant *Anonymo* Auctori, eosdem fuisse *Cataphractarios*. Ut proinde, quo tempore *Cataphractas* induebant, eodem *Loricas Metallicas* exuerint *Romani*. Et tamen alium *gradum* Cataphractis ipsis, seu *Clibanariis*, recentiorem ad *Thoracomachi* sui usum inventum recenset idem Anonymus: *Sane*, inquit, *ne idem Thoracomachus pluviis verberatus ingravescente pondere adficiat vestientem*,

vestientem, de Libycis bene confectis pellibus ad instar ejusdem Thoracomachi faciem conveniet superinducere. Hoc tamen quasi proprium *inventum*, nec adhuc in *usum* receptum, innuit vox *conveniet. Cataphractarum* autem in *Occidente* omissarum tempus accuratius designavit Anonymo coævus *Vegetius.* Temporibus enim tribuit *Gratiani*, quod *intermissis* campestribus in armis *decurrendi* exercitiis, ipsis *Militibus* postulantibus, quod *gravia* jam viderentur propter *exercitia intermissa*, delicatioribus, *Cataphractarum* indulgentia primum, tum deinde *Galearum* concessa sit. Tribuitque huic *mollitiei* secutas *clades* L. I. c. 20. In *Oriente* tamen *Cataphractarum* usum adhuc obtinuisse ex Anonymi *Thoracomacho* facile colligimus. Utcunque tamen in *Pedites* tantummodo hanc *novitatem* agnoscit *Vegetius.* Arma autem *Equitum Gothorum, Alanorum Hunnorumque* exemplo *profecisse* idem opinabatur *Vegetius.* Innuens profecto *novatam* esse suo tempore *Equitum armaturam*, sed, ipso arbitro, in *melius.* His ergo *Gratiani* temporibus *Parmæ* tuæ *antiquior* erat Artifex. Verum, ut ad *Cataphractas* redeamus, quas *Urbi Conditæ* coævas arbitrabatur, sed perperam, *Vegetius* ; etiam ante *Alexandri Severi* tempora, quousque *Cataphractarum* Historiam modo deduximus, in *Loricarum* usu *novatum* est. *Prætorianis* enim Militibus *Thoraces squamatos*, & *Scuta imbricata*, abstulerat *Macrinus*, quo faceret ad pugnam expeditiores, teste *Xiphilini Dione.* Et ante *Macrinum, tunicas manicatas*, ad *Loricæ* formam quodammodo factas, induerat *Caracalla*, ut absque armorum *pondere*, tamen esse videretur *armatus*, eodem teste *Dione Xiphiliniano.* Ita *Imperio Romano* vel *labascente* multo *antiquior* tuus fuerit Artifex. Qui autem tot *Consuetudinum vigentis Imperii, exstincto Imperio*, vestigia quæsierit in *alio* quoque *vigentis Barbariei*, moresque *suos* in *Romanorum* morum locum sufficientis, operam certe ludet.

Descen-

37. *Caligatorum* nomen Militibus *infimi* ordinis, propria quadam *Consuetudine*, attribui solebat. *Non* tamen propterea negandum quin *aliis* quoque Militibus fuerint, pro sua cujusque *dignitate*, *Caliga*.

Descendamus jam porro ad Equitum *genua*, quo loco Sagorum *finem* posuimus. Inde rursus *nuda* occurrunt *crura* ad *tibiam* usque *mediam*. Et quidem in tua *Parma* videmus *calceum* illum, qui à *Milite* Equestri usurpabatur, à *tibia media* incepisse. Ita quidem ut *tibiarum* partem *reliquam* cum *pedibus* texerit, *nudis* relictis *pedum* tantummodo *digitis*. Hinc ergo colligimus *caligam* fuisse qualis *Equitibus* rem gerentibus, pro *Seculo*, quo tuus vixit Artifex, in usu receptus fuit. Adeo tamen *varius* erat ejusdem *caligæ* incertusque usus, ut rem *dubiam* Eruditis recentioribus *fecerit*. Pugnat ergo *Nigronus caligas* non ultra *pedum talos* pertigisse, quod *calceis caligas* Veteres accensuerint. Censet enim *calceos* nullos *pedum talos* excessisse. Infirmo prorsus Argumento. Quasi vero inter *calceos* nullum prorsus fuisset *discrimen*, quod tamen ipse *aliis* Veterum *Testimoniis* evictus agnoscit. Et *veterum* testimoniis firmare conatur *tuo* monumento *recentioribus*, non *Ethnicis* modo, verumetiam *Christianis*. Quasi etiam tot *Seculorum* decursu nihil fuisset, seu in *caligarum*, seu in *calceorum*, usu novatum. Sed vel ex hac ipsa, quæ in *Parma* tua repræsentatur, *caliga*, tui monumenti *Antiquitas*, ni fallor, evincetur, si *temporum morumque*, pro *Temporum* ratione *diversorum*, rationem, ea, qua par erat, ἀκειβείᾳ internovisset. Non me quidem fugit *caligatorum* nomine *manipularios*, seu *gregarios milites* fuisse designatos. Sic observavit *Suetonius Augustum* honores militares, *quam parcissime, & sine ambitione, ac sæpe caligatis* tribuisse. vit. c. 25.4. Sic item *Vitellium* tota via *caligatorum* quosque *militum* obvios exosculatum, vit. c. 7. 6. Sic etiam *Seneca Marium caligam dimisisse, Consulatum exercuisse*, de brevit. vit. c. 17. Et alibi *ad Consulatum à caliga* perductum. L. V. de Benef. c. 16. Sic de *Ventidio Basso Plinius*, plurimos *juventam inopem in caliga tolerasse* Auctores fuisse. Nat. Hist. L. VII. c. 43. Sic C. *Oppium omnibus officiis in caliga functum* Inscriptio *Gruteriana* testatur. 445. 9. Et alibi *numerus Militum caligatorum* memoratur. 279. 3. Et *Militiæ* etiam

etiam *caligatæ* apud *Tertullianum* de *Idololatria*, c. 19. Mitto quæ ad hunc *Tertulliani* locum congessit *Pamelius* è *junioribus* tuæ *Parmæ* Seculo *Juristis*. Propius ad caussam facit, quod ab hac ipsa *Manipularis Militiæ caliga* cognomen acceperit *Caligulæ Princeps* ipse *Caius*, quod in *castris* editus fuisset in lucem, & *caliga*, vel potius, quæ *ætati* illius *Infantili* conveniebat, *Caligula* aliquantisper usus. Et ne quidem *alia* caligæ *forma*, quam quæ *communis* fuerit cum *Militibus gregalibus*. Sic in *contubernio Legionum eductum* observavit *Tacitus* Annal. I. 41. Ac si fuisset *gregalium Militum contubernalis*. Nempe *quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur*. *Vulgarium* ergo *Militum caliga* erat qua induebatur *Caligula*. Et hoc matris *Agrippinæ* ambitioni imputabat proinde *Tiberius*, quod *filium Ducis gregali habitu circumtulerit*. c. 69. *Ejusdem* nimirum *Militiæ caligatæ* quam *Militiæ*, quæ inter *dignitatem* & *potestatem* est, opponit *Tertullianus* de Idololatr. c. 19. Quod scilicet *gratiam* illam tanquam *rariorem* in *Augusto* observarit *Suetonius*, quod *honores Militares militibus* distribuerit etiam *caligatis*, ut jam supra monuimus. *Manipularius* is habitus appellatur à *Suetonio* Caligul. c. 9. Inde *imminuta* Natalium *Majestas* credebatur à *Tiberio*, quod non *sui* ordinis *calceum* delegerit, à quo *cognominandus* fuerit, sed *Militis infimi* ad *Vulgi Militaris* favorem conciliandum. Inde consilium *Manipularium S. Antonio* & *Fulviæ* datum βυλῆς καλιγάτης appellatione irridebatur, ab *Antonio* ipso & *Fulvia*, de *Pace* cum *Augusto* ineunda, teste *Dione*. Ut nempe *summa imis* in illo lepido *Senatu* immista fuisse significarent. Hi sunt nimirum quos *Lex caligatorum* nomine designabat, fatente ipso *Legislatore Justiniano* Magno, *Novell.* 74. collat. 4. in *Authent*. Ideone *caligas reliquis* præterquam *Manipularibus Militibus* negabunt, vel *calceorum* genus suæ *dignitati* magis decorum, *Militiæ* tamen, non *domi*, & inter *cives Romanos*, usurpandum? Quid ergo Respondebunt *Ciceroni* de suo in Urbem *reditu* ita loquenti; *primum*, inquit, *luce, non tenebris: deinde cum calceis & toga, nullis nec caligis,*

nec

nec lacerna. Contra omnia, quam quum de caussa agit *Antonii*: *Quum consulatus petebatur, non rogabatur, ... cum caligis & lacerna*, inquit, *cucurristi.* Philipp. II. *Pacis Bellique* habitum hîc describit, à *Romanis*, quum extra *portas Urbis Romanæ* vel *Coloniarum* versarentur, *usurpandum*, ita viceversa quum *portas* easdem ingrederentur, *exuendum.* Quem ergo locum habebant in *Urbe* ipsa, interque *Cives*, *Toga* & *Calceus*, eundem tenuerint oportet extra *Urbem Lacerna* & *Caliga*. *Exuendæ* utique quum in *patriam domumque* reverterentur. Non me quidem fugit, pro *Caligis Gallicas* utrobique reponi ab Eruditis, contra *Manuscriptorum* hodiernorum fidem, & quidem Auctore *Gellio* Noct. Attic. XIII. 21. Fieri quidem potest ut vox *Gallica* pro *Crepidulis nova* fuerit ætate *Ciceronis*, ut censet ipse *Gellius*. Non equidem quod *Carminis Tertulliani* nomine, nullo suo merito, insigniti, rationem habendam existimem, seu *metrum* faveret, seu *minus*. *Potior* apud me ratio est, quod *caligæ* nomen usurparit *antiquior Cicerone Cato*. Et quod *Ciceronis* Libros ab ipso *Cicerone*, vel liberto ejus *Tyrone*, emendatos attigerit, *ni fallor*, ipse *Gellius*. Utcunque tamen *nomen* tantummodo *calcei Militaris* dubium faciet illa qualiscunque *Lectionis* varietas. De *reipsa* certum est duobus hisce *Senatorii* Ordinis *Militibus* suos fuisse *calceos Militares*, quum *Civium* commercio fruerentur, *exuendos*, seu *Gallicæ* illi, seu potius *Caligæ*, fuerint appellandi. Ipsam tamen *Caligæ* vocem in *primariæ* dignitatis viris *Ciceroni* minime displicuisse, testem do ipsum *Ciceronem*. Sic enim ille Ep. ad *Attic.* L. II. Ep. 3. *Epicratem suspicor, ut scribis, lascivum fuisse. Etenim mihi caligæ ejus, ut fasciæ cretatæ non placebant.* Magnum hîc *Pompejum* perstringit sub *Epicratis* nomine, propter magnam illius in Rep. *Romana potentiam*. *Caligas* illius, pariter ut *fascias, cretatas* observamus, quamvis è *fasciis* solis, propter *colorem fasciis* inductum, *Regni* affectati suspicionem moverit *Favonius* apud *Valerium Maxim.* L. VI. c. 2. Exempl. *Rom.* 7. Cur ita fecerit, vid. *Alexandrum* ab *Alexandro* Gen. Dier. L. I. c. 28. Rectene, an secus, impræsentiarum non moramur. *Invidiæ* tribuit

Ammi-

Ammianus Marcellinus L.XVII. c. 11. Nullam autem in hoc *Ciceronis* loco de voce *caligæ* suspicionem movent Codices MSS. Contra vocem *Gallicæ*, quæ *Gellii* ætate recepta est, *Ciceronis* ætate *novam* agnoscit ipse *Gellius*. Cur itaque voce *nova*, potius quam *recepta*, rem eandem designaret *Cicero*, ratio erat plane nulla, MSS. præsertim *Ciceronis* omnibus refragantibus. Nec sane solet *Cicero*, nec *Critici* verborum aucupes, verba *nova* sine *veniæ* præfatione adhibere. Unde tamen vel *novam* fuisse *Gallicæ* vocem conficiet, seu *Gellius* ipse, seu *Castricius*, ætate *Ciceronis*? Unde vel *ullam*? Alium profecto *nullum*, seu *coævum*, seu *propinquum* ætati *Ciceronis* Auctorem advocant qui *vocem* illam usurpaverit, ne quidem *venia* petita. Et ne quidem *Gellium* Auctorem habent aliter legendum quam *Caligam* seu in *Epistola* ad *Atticum*, seu in hac ipsa *Philippica*, quo loco de *sua* caussa ipse agit Orator. Audentiores ergo sunt, quam oportebat, hodierni Critici, qui ex *uno*, per *memoriam* advocato, *Ciceronis* loco, duos ejusdem Oratoris locos emendandos censent. Præsertim quum de hoc *ipso* saltem *Ciceronis* loco Codicem *Ciceronis* nullum à se consultum fuisse innuat, seu *Castricius*, seu ipse *Gellius*. Sic autem *memoriter* Veterum Testimonia advocasse, quavis occasione data, Seculorum illorum florentissimorum Auctores, è *Seneca* constat atque *Athenæo*. *Caliga* ergo fuerit ætate *Ciceronis* pedis *tegmen*, etiam *Senatorium Militare*, quæ *Gallicæ* potius nomine veniebat quum *Gelliana* illa peroraret *Castricius*, Imperante *Hadriano*. Inde facile intelligimus cur *Caligatorum* nomen *infimo* Militum *Manipularium* ordini adhæserit. *Vocis* tantummodo ejusdem *usu* immutato. Quod scilicet his, in quibus modus ille loquendi obtinebat, *temporibus* exoleverat nomen *Caligæ* ipsum, quoties de *Militibus* ageretur plusquam *Gregalibus*; *Caligæ* autem simpliciter ita appellatæ nomine non aliatum intelligenda veniret, præterquam *Manipularium Caliga*. Quod tamen non ita accipiendum est quasi nullum fuisset inter *Nobiliores Ignobilioresque* in re ipsa discrimen. Verum ita ut *Caligæ* forma ignobilissima *proprium* sibi *Caligæ* nomen, è *Vulgi* usu, vendicarit.

38. Cur *Caligatorum* nomine Milites *infimi* intelligerentur, caussa fuisse videtur, quod *nova* interim nomina *Nobiliorum* Caligis attribuerentur, *Gallicarum*, *Solearum*, *Crepidarum*.

Nomen ergo *unum* dedimus, quo insigniebantur apud paullo juniores, *Caligæ* nomine abolito, *Nobiliorum* Militum calcei *Militares*. *Militares* enim illas fuisse *Caligas Senatorias*, ex illo ipso Argumento colligitur, quod non fuerint *domi*, interque *cives*, usurpandæ, de quibus egit in *Philippica* II. *Cicero*. Proinde *Militares* etiam fuerint oportet, quos in Discipulis suis *Senatoriis* redarguebat *Castricius*, si quidem recte locum illum Viri eloquentissimi ad illorum *Gallicas* retulerit. Et quidem *similem* fuisse Senatorum *Ciceronianorum Gellianorumque* caussam verba ipsa *Gelliana* satis aperte innuunt. Reprehendebat in Discipulis suis *Castricius*, etiam *die feriato*, in *Urbe* tamen celebrando, *tunicas* & *lacernas*. *Tunicarum* nomine *Loricas*, ut opinor, intelligens, quas *Tunicas* fuisse jam probavimus. Sic enim de *Augusti* vestitu hyemali Suetonius: *Hyeme quaternis cum pingui Toga Tunicis, & subucula & thorace laneo, & feminalibus & tibialibus muniebatur*. vit. c. 82. *Thorax* ille *laneus* vix alius esse potuit quam *Lorica*, cui tamen *Togam Pacis* habitum superinduebat *Augustus*. *Lacernas* vero illas *Gellianas* Togæ ipsi *opponit Castricius*. *Equidem maluissem*, inquit, *vos togatos esse. Pigitum est, cinctos saltem & penulatos*. Qui *Pacis* habitus fuisse videtur, Imperante *Hadriano*, redeuntibus à *Militia* induendus. Sed *exuendæ lacernæ* in *Urbe* morem *neglectum*, imo retinendæ, *multo jam usu ignoscibilem* agnoscit ipse *Castricius*. *Soleatos tamen Populi Romani Senatores per Urbis vias ingredi nequaquam decorum esse pronunciat*. Ut proinde *soleas*, quas appellat, in *Urbe* retinendi, ne *tum* quidem mos obtinuerit. Proinde ad habitum *Militarem* illæ quoque spectabant, de quibus loquitur, *Soleæ*. Nempe *Soleæ* nomine omnia ferme id genus complexus, *quibus plantarum calces tantum infimæ tegebantur, cetera prope nuda & teretibus habenis vincta*. Has nonnunquam voce *Græca Crepidulas* appellatas fatetur ibidem *Gellius*. Recte quidem ille. Est enim & *Crepida* aliud *Militaris Caligæ* nomen. Et quidem ea significationis latitudine quæ *Caligam* nobiliorem

biliorem *ignobilioremque* complectebatur. *Nobiliori* hoc ipso in loco tribuitur à *Gellio.* *Caligam* autem etiam *clavatam* eodem *crepidæ* vocabulo designavit *Valerius Maximus*, qui scripsit etiamnum Imperante *Tiberio.* Victo enim *Antiocho Magno*, Argenti Aurique tantum in spoliis repererunt Romani, *ut etiam gregarii Milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam cujus amore Populi ferro dimicant.* Verba sunt illius *Justini* qui *Trogum* in Epitomen redegit L. XXXVIII. c. 10. Ad eandem Historiam sic alludit *Valerius*, ut pro *Caligis* reposuerit *Crepidas*; & pro *auro figere*, *magna ex parte aureos clavos Crepidis subjicere.* L. I. c. 1. E quibus invicem collatis manifestum est, *Crepidæ Valerianæ* voce *gregariorum* quoque *Militum caligas* venire, etiam *clavatas*, quibus suppositi *clavi aurei* etiam *proculcarentur.* Sic *Crepidas Pallio* junctas observavimus in caussis *Scipionis Africani* majoris & *Germanici* supra allatis. *Paludamentum Imperatorum* insigne fuisse probavit *Ferrarius* de R. Vestiar. *Pallium* certe *Alexandriæ* gestum cum *Romana Toga* confert *Cicero* pro *Rabirio.* Certe cum *Chlamyde* idem facit *Ferrarius* P. II. L. III. c. 4. Et tamen L. *Scipionem* ejusdem *Africani* fratrem non *Chlamydatum* tantummodo verumetiam *Crepidatum* statua in *Capitolio* posita repræsentatum docet *Valerius Maximus* L. III. c. 6. Exempl. 2. Hos omnes Imperatores fuisse constat. Idem quoque de *L. Cornelio Sylla*, etiam quum *Imperator* esset, idem observavit *Valerius* Exempl. 3. Proinde ad habitum *Imperatorium* spectabant etiam *Crepidæ.* In his tamen omnibus aliquid *singulare* fuisse iidem qui *Facta* retulerunt, observant Historici. *In Scipione Africano Livius*, in *Germanico*, qui illum imitabatur, *Tacitus*, in reliquis ipse *Valerius.* Non tamen docuerunt *quid* illud fuerit singulare, sed nec illorum, quod quidem observaverim, Commentatores. Non erit igitur ingratum, si hoc ipse observavero, facile tamen, si quid ipse in re tam difficili impegero, ut spero, corrigendus. *Cincturam* in *Pallio* à *Romano* more alienam docet *Petronius.* Et quidem hanc *cincturam Penulæ* addendam *Senatores* suos monuit *Castricius*, si quidem ha-

bitum vere *Civilem*, & pro *Urbis* more congruum, dum per *Urbis* vias ingrederentur, gestare vellent. In *Crepidis* vero quid erat, inquies, *singulare*? Hoc, inquam, quod in *Senatoribus* suis reprehendebat *Castricius*, quod plantarum *calces* tantum *infimæ* his *Gallicis* seu *Gelliani* Seculi *Caligis* tegerentur; cetera *prope nuda & teretibus habenis vincta* essent. Has enim *easdem* fuisse docet *Castricius* quæ *Græca* voce *Crepidulæ* appellarentur. Hoc item *Germanico* probro datum innuit *Tacitus*, quod *Alexandriæ* pedibus *intectis* incesserit, & pari cum *Græcis* amictu. Addit præterea: *Publii Scipionis æmulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Pœnorum Bello accepimus*. L. II. Ann. c. 59. Hinc eandem *caussam* fuisse discimus, cur reprehensus fuerit à suis *Romæ* æmulis major ille *Scipio*: Reticet quidem *Livius*. Non tamen est cur proinde de *facto* ullatenus dubitemus. Hoc etiam didicerat ex aliis bonæ fidei *Historicis Tacitus*. Didicerat *Livio* vix *ætate* dispar *Germanicus*.

39. *Caligæ forma*, quæ in *Parmæ* Equitibus conspicitur, ad *antiquissimam Caligæ Nobiliorum formam* proxime accedit. Antiquior etiam *Campagis*.

Atque hinc invictum, nisi fallimur, Argumentum, pro tuæ *Parmæ Antiquitate*, lucrabimur. Est enim *antiquissima crepidæ Militaris* forma quam in tui Monumenti *Equitibus* intuemur. Certe antiquior *Hadriano*, novisque illis moribus *Senatorum* suorum à *Castricio* sub *Hadriano* reprehensis; in quibus ne quidem *multum usum* agnoscere videtur idem reprehensor. Sic loquitur quasi *nupera* admodum memoria novus ille *Gallicarum* usus irrepsisset. Tantum abest ut *vocis*, qua tum appellabatur, usus *Ciceroni* vel *novus* esse potuerit. Antiquior item *retiariis* illis, ut appellabat *Gallienus*, calceis, qui in Marmoribus conspiciuntur hoc tui Artificis Seculo paullo recentioribus. *Habenæ* enim *Gellianæ teretes* eædem fuisse videntur cum *corrigiis* & *vinculis* & *obstrigillis* quæ *Pedum* partem longe *maximam intectam* reliquerint. Antiquior, inquam, apud *Romanos*, Disciplinæ patriæ *Civilis*, pariter atque *Militaris*, observantissimos. *Pedum* pars *superior* in *Equitibus* tuis *nuda* est. Accuratissime, pro *majorum* Disciplina *tum* quoque recepta

quum

quum tuus Artifex hoc tam insigne monumentum excuderet. Distinguit manifeste *Cicero fasciarum* locum in *Pompeio* à loco *Caligarum*, quamvis in utroque *colorem cretatum* improbarit. Propter illam, ut videtur, affectati *Regni* suspicionem, è *colore* illo collectam, ut jam observarunt Viri Eruditi. Eo spectabant verba *Favonii* de *Diademate*, ad *fascias* proculdubio referenda, à quibus *Coronæ* nomen *Diadematum* traxerunt, quod fasciis istiusmodi *Coronas* Regum capitibus revinciri mos erat. Non itaque *color* tantummodo, verumetiam ipsæ quoque *fasciæ* suspicione illa impetebantur, quod *Diadematis* nomen, qua *voce* usus est *Favonius*, *Fasciæ* aptius conveniat, quam *Coronæ* à *Fascia* revinctæ. In *Caligis* ejusdem *Pompeji* nihil habebat prorsus quod cavillaretur *Favonius*. Et ne quidem ipse *Cicero*, præter ipsum *colorem*, qua etiam *color* ipse faciebat ad suspicionem *Regni* à *Pompeio* affectati, ut jam ostendimus, qua etiam *color* ille *Civilis* non erat, fueritque adeo à *Pompeio*, ut videbatur, affectatus. *Mullei* enim erant, non *Albi*, *calcei* eorum qui *Magistratum Curulem* ceperant, ut Nos docet *Festus* è *Catonis Originum* L. VII. Quo quidem ordine erat *Pompeius* quum *Cicero* colorem illum *Pompeio* exprobraret. Et quidem *Crotaceus* ille *Crepidæ* color, *Græcæ* erat, non *Romanæ Crepidæ*. Sic enim Tertullianus: *Crepidæ cretatæ Græcatim Æsculapio adulantur*, de Pall. c. 4. Sic itaque intelligendus de *Tiberio Suetonius*, quum alienas à *patrio* habitu *cripidas* facit. vit. *Tiber.* c. 13. Uti etiam *Persius* Sat. I. v. 127. *Calceos* autem, *Ciceroni Caligas*, ad *Tibias* usque pertigisse docet è *Titinio*, veteri Auctore, idem *Festus*, cujus verba illa advocavit: *Jam cum Mulleis te ostendisti quos tibiatis in calceos.* *Nuda* ergo erat, pro *Romanorum* more, pars illa *Cruris* Tibia *superior*, quam, contra morem à *Civibus* suis receptum, *fasciis* texerat *Pompeius*. Plane, ut in tuo videmus monumento. Idem probat Auctor monumento tuo coævus gravissimus *Quinctilianus*. Verba sunt illius in hanc sententiam disertissima: *Fascias quibus crura vestiuntur*, &c. *sola excusare potest valetudo*, Inst. L. XI. c. 3. p. 544. Edit. *Oxon.* Si quidem *Pace*, nisi

nisi exigente *valetudine*, non fuerit ferendum, multo minus in *Militia* in viro forti ad rem gerendam expediendo fuerit excusandum. Eodem spectant & *Horatiana* illa: L. II. Sat. III. v. 274, 275.

——— *ponas insignia morbi*
Fasciolas ————

Recte ergo *Varro* apud *Nonium* sibi *puero sine fasciis calceamentum* fuisse scribit. Unde discimus *Pueris* pariter ac *ægrotantibus* indulgeri solitas, *Varrone* puero, quas tamen ipse generosæ pariter ac severæ præter *ætatem* indolis spreverit. *Fasciæ* hæ non aliæ erant quam *Crurales*, quæ eodem in loco desinebant quo incipiebant *calceamenta*, nimirum in *tibia*, ut è *Cicerone* modo vidimus. Eousque pertigisse nobiliorum *calceos* docet *Horatius*: L. I. Sat. VI. v. 27, 28.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Mulleus hic fuisse videtur nobiliorum *calceus* à *Festo* descriptus, quem *nigrum* fuisse testatur hoc in loco Poëta *Venusinus*. Quid ergo dicemus veteri *Juvenalis* Scholiastæ? *Illo*, inquit, *tempore necdum Senatores nigris calceis utebantur*. ad *Juvenal.* Sat. I. Loquitur de tempore *Juvenalis*, quum tamen ab ipso *Augusti* Imperio ipsum illum *colorem* in *Senatorum* calceis usurpatum fuisse ex hoc *Horatii* loco constet. Innuit autem *suo* ipsius *Scholiastæ* tempore, colorem eundem *nigrum* in eundem, qui prius invaluerat, usum quasi è postliminio fuisse revocatum. Inde intelligimus quam *frequens* fuerit *coloris* in calceis *Nobilium* mutatio, *medio* illo tempore quod fluxit ab *Horatio* ad *juniorem* illum Juvenali ipso *Scholastem*. Imo *Juvenalis* quoque tempore, qui scripsit, ut in *Annalibus* probavimus *Quinctilianeis*, sub *Hadriano*, alium nihilominus invaluisse, ab eo qui olim fuerit, in *iisdem* calceis *colorem*. Proinde non erit cur miremur, si etiam ab hac, quam in tua Parma videmus, forma, *non habenata*, nec *retiaria*, sub *Hadriano* deviaverit. Et tamen etiam sub *Marco* ὑποδήματα memorat *Pollux* κοῖλα, βαθέα, εἰς μέσην κνήμην ἀνήκοντα. Additque: τάδε οὐκ οἶδα εἰ μόνον ἀποχρῶν ἐστιν εἰπεῖν ὑποδήματα. Quasi

vero

vero *solos* hosce *calceos* censuisset ὑποδήματα, vel *calceos* recte appellari potuisse. Fieri potest ut *Campagos* intellexerit, quos *retiariis* opposuit *Gallienus*, propterea quod pedum partem *maximam* texerint *Campagi*. Ita ad *Parmæ* tuæ formam accesserint *Campagi*, nuperrima, & post nomen *Gallicarum*, ut videtur, orta, *appellatio*. Quum ergo illi in usum *pristinum* revocarentur, tum quoque verisimile est una rediisse *pristinum* ejusdem *calcei colorem*, qui *niger* erat quum scriberet Scholiastes in *Juvenalem*, ut modo observabamus. Sed & *Crepidæ* nomen his *Nobilium* Militum, non *Caligatorum*, calceis attributum est. *Servius* de *Tyrrhenis* calceamentis: *dicit*, inquit, *crepidas quas primo habuere Senatores, post Equites Romani, nunc Milites.* Et quidem ita opponuntur *lacernæ* & *crepidæ togis*, & *calceis*, ut olim *Pallia* & *Saga*. Deponendæ utique quum *Urbem* ingrederentur, habitumque *Militarem* cum *Urbano* & *Civili* & *Pacis* habitu commutarent, qui Disciplinæ *Romanæ* normam observabant. Inde non absurde colligemus ad habitum *Militarem* pertinuisse illorum temporum *crepidas*. Pariter autem *crepidas* ac *cothurnos* ad *crura* repsisse docent verba *Sidonii* in Panegyrico *Anthemii* de *Roma Dea*:

ad *Æn.* VIII. *Tyrrhena pedum* &c.

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vincto de fomite pollex,
Quæ stringant crepidas, & concurrentibus ansis
Vinclorum pandas texant per crura catenas.

Serior equidem est hæc *crepidæ Militaris* forma, quæque, per *multos* succedentium gradus, ad hanc *campagorum* reticulatorum figuram mutata est, aliquot proinde post *tuum* monumentum *Secula*, quod voce *Campagi*, & *forma* illius, uti etiam *Gallicæ* retiata, antiquius. Hæc enim omnium simplicissima est quæ *soleis* nexæ pedes, exceptis *digitis*, universos, ad crura *media*, seu *tibias*, vestierint. Quum tamen tot aliis nominibus à *caliga* distinctis, pro *temporum* decursu, eaque, quæ Seculorum *indole* varia, mutatione, appellata fuerit; ita demum factum & *caligæ* nomen simpliciter acceptum *infimorum Militum caligis* adhæserit.

Quod

40. *Caligarum* earundem *nomina* sæpe invicem permista. *Morosa* tamen erat *Caliga* quæ *Caligatis Militibus* nomen dederit *Caligatorum*, *Equitibus* prorsus *incongrua*, qui tamen *soli* in hac visuntur *Parma*. *Caligæ antiquissimæ notæ omnes* huic certe *Caligæ* conveniunt.

Quod tamen non ita intelligendum est, quia & *voces* ipsæ subinde invicem fuerint *commutatæ*. Certe *Militibus* illis, qui *Equitibus* inferiores erant, *crepidas* suo quoque tempore tribuit *Servius*. Et viceversa *caligas gemmatas*, quas *reticulatis Campagis* opposuit *Gallienus* Imperator, *caligarum* nomine insignivit in *duobus Gallienis Trebellius Pollio*. c. 16. *Novo* tamen exemplo *Gallienus caligas* priscas, non *Sagis*, ut antea, sed novæ *baltheorum* formæ, qui in *Sagorum* locum successerant, annexuit, qui nec *gladiorum capulos*, nec *crurum* partes *superiores* obvelarint, quæ tamen *loco* suo *remotæ caligæ* nomen *pristinum* retinuerint. Nec *caliga* tantummodo *vere* antiqua, verum etiam *Campagus* ille *retiatus*, qui in *caligæ* locum officiumque successit, *caliga* etiam ipsa appellatur à *Julio Capitolino* in vit. *Maxim. junior*. c. 2. Et nihilominus *Campagus Regius*, ne quicquam commune habere putetur cum *Militibus* illis *gregariis* qui proprie *caligati* appellabantur. Non est ergo cur in *verbis* hæreamus, præsertim *rarius* usurpatis. Imo *caligæ* certam quandam speciem fuisse innuit *Tertullianus*, quæ *infimis* illis *Militibus* nomen dederit *caligatorum*. Nempe *speculatoria* (vel *spiculatoria*, utrique enim Lectioni favent Eruditi, pro suis quisque rationibus) quam *morosissimam* appellat. Innuens & alias fuisse *caligas*, quæ tamen non fuerint pariter *morosæ* de cor. Mil. c. 1. Et *speculatoriam* illam *caligam* memorat in *Caligulæ* vita *Suetonius*, c. 52. quam nonnunquam induerit *Princeps* indolis lascivientissimæ, licet *Majestate Imperii* indignissimam. Sed luserit ille de *cognomine Caligulæ*, quod *gregariorum Militum caligæ* debuit in *Infantia* affectatæ, ut jam supra ostendimus. *Speculatoriam* enim *caligam manipularium* Militum fuisse certum est. Sed quum *Speculatoria Caliga* quasi certa quædam *Caligæ species* recensetur, id una innuitur, alias fuisse, inter *Milites Manipulares*, *Caligas*, ut commune *Caligatorum* vocabulum *alios* ejusdem *ordinis* Milites complectebatur, præter *Speculatores*. Hæc ergo *Speculatoria Caliga morosissima* à *Tertulliano* dicitur propter

clavos

clavos, qui *moram* ſpeculantibus injiciebant dum pedem *alterum* antea proferre non poſſent quam *prior*, qui in *luto*, propter *clavos*, hærebat, extraheretur. Erant autem inter *Caligatos Milites Caligæ aliæ* minime *clavatæ*, ut è veteribus conſtat monumentis. Has *minus*, quam ceteræ, *moleſtas*, & in Itineribus *moroſas*, fuiſſe conſentaneum eſt. Utcunque tamen, quæcunque demum fuerint *Manipularium Militum Caligæ*, nihil ad Monumenti tui *fidem* imminuendam facient, in quo non alii repræſentantur *Milites* præterquam *Equeſtres*, & quidem *præcipuæ* cujuſdam *dignitatis* plerique, ut ex *inſignibus* colligimus, locoque quem tenere cenſentur, ſuo cujuſque *Imperatori* proximum. Hos à *Manipularium* gradu admodum *remotos* fuiſſe conſtat. *Moroſæ* autem *Caligæ* uſus, quantulacunque demum illa fuerit *moroſitas*, ſive à *Caligæ onere*, ſive à *clavis*, *Equitibus* incongrua & incommoda futura erat, quibus novi *Equi inſiliendi* erant, ſiquo Belli caſu *Equos amiſiſſent*. Has ergo *Equitum* tuorum *caligas antiquiſſimas* fuiſſe veriſimillimum eſt. Hac certe *nota* antiquiſſimas fuiſſe probavimus, quod *ſuperiorum* crurum partes, *nudas* intectaſque reliquerint. Et ex illa quoque *nota* alia, quod *pedes* nihilominus *obvelarint*, ſi pedum *digitos* exceperis, eoſque *ſolos*. Antiquiores certe fuerint novis, quæ in earum locum ſucceſſerunt, *Gallicis*, quæ *pedes* non abſcondebant, quas tamen ſub *Hadriano* receptas fuiſſe probavimus è verbis *Caſtricii* apud *Gellium*. Et ne quidem hanc poſtremam *nudorum digitorum* notam in *caligis antiquiſſimis* deſideratam, exinde colligimus, quod, quum *Gallicarum Campagorumque*, *babenatorum retiatorumque* conſuetudo tandem etiam ipſa exoleviſſet, & ad *calceorum* uſum denique perveniſſent, qui ad *digitos* uſque pertingebant, primi quoque calcei *cancellati* aërem digitis admiſerint. Hoc tamen aliquot poſt *Parmam Seculis* obtinuiſſe videtur poſt varias *Gallicarum*, *campagorumque* formas quibus *pedes* primo *nudabant*, deinde paullatim *veſtiebant*, propter *frigoris*, ut videtur, incommodum, paullatim in mollitiem degenerante Diſciplinæ *Romanæ priſtinæ* rigore. Nec tamen vel ita *pedum digitos* prorſus *nudos*

esse sustinebant. Non modo propter contrarium *Patriæ morem*, cui jam olim assuevissent à prima usque *caligarum* origine ; verumetiam quod *vincula digitorum* qualiacunque *libertati* adversa censeret gens illa *libertatis*, siqua alia, studiosissima. Nam & hanc quoque *opinionem* apud *viros generosos* viguisse docent diserta *veterum* Testimonia. Pedum illa vincula pro *compedibus* habebat *Plautus* in *Epidico* Act.V. Sc.2. Pro *vinculis Ovidius* Metamorph. L.III. Fab.II. & Fast. L.II. & *Tibullus* L. I. Eleg.VI. Multoque magis viri *Philosophici*. *Calceatum esse non parvam habet affinitatem cum eo quod esse ligatum*. Clem. *Alex*. Pædag. L.II. c. 11. *Propemodum dixerim calceatum esse, perinde ac vinctum & constrictum esse*. *Musonius* apud *Stobæum*. Itaque ἀνυποδησίαν usurpabat *Cato* major, teste in illius vita *Plutarcho*. Et de *Platone Philosopho* ita S. *Hieronymus* : *Præcepit*, inquit, *duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere molliciei capitis & pedum*. in S. *Matth*. X. Exempla non coacervabo, quæ occurrunt satis *frequentia*. Caussam quidem *Militum* excipit *Clemens Alexandrinus*. Intelligit, ut videtur , inprimis *caligatos*, *Pedites* præsertim qui in *Expeditionibus*, *Itineribusque laboriosis* versabantur. Nec de aliis intelligi potest quam *suorum* temporum *calceis*, quibus aliæ *pedum*, præter *digitos*, partes occultabantur. Hinc tamen intelligimus cur *postremos* omnium *pedum digitos* calceis *fenestratis* aliquatenus *nudos* reliquerint ut ita *Platoni* aliquatenus obsequi viderentur de corporis *extremitatibus* non *velandis*. Non est ergo dubitandum quin in *caligis* primævis *nudi* saltem fuerint *pedum digiti*. Pro *tuæ* Parmæ exemplo accuratissime. Imo magis sollicitos fuisse de eorum *nuditate* Veteres, quam *reliquarum* quarumcunque Pedum *partium*.

41. *Capitolium* inter Ædificia, quæ in Parma repræsentantur, (ni forsan id quod in summitate) non conspicitur. Substructio Lapidea non evincit. Majestas *Romæ* post tempora *Augusti*. Illius *Insulæ* & *Domus*.

Hucusque ergo *Parmam* tuam *Antiquitati* à nobis assignatæ consentientissimam experti sumus. Et quidem ita ut multo recentior esse ne quidem potuerit. Videamus ergo porro, num & reliqua pari ἀκριβείᾳ respondeant. Videmus *hîc Ædificia* magnifica, quæ nonnulli

pro

pro parte ſaltem *Capitolii* intelligi volunt, in quo nulla certum eſt fuiſſe *Theatra* vel *Circos.* Inde fidem tui monumenti impugnandam cenſent, quod hîc *Theatra* & *Circum* conſpiciamus, quæ nulla erant in *Capitolio.* Recte quidem ſi aliunde conſtitiſſet, *Capitolium* hoc in loco repræſentare tuæ ſaltem Parmæ voluiſſe Artificem. Alioqui, ſi nulla alia ſuppetant, quibus Capitolium deſignatum comprobetur, firmiſſima è contra procedet Argumentatio, Capitolium non fuiſſe in quo tot videmus Ædificia, quæ locum prorſus nullum habebant in Capitolio. Certe ſi Auctor *Capitolium* haberi voluiſſet, fieri vix poteſt quin idem *Gallos* exhibuiſſet per clivum irrepentes, vel *Cives* ſaltem inprimis Diis Patriis Civibuſque de victoria, pulſiſque ex Urbe Patria hoſtibus gratulantes, & quo minus voce, per intervallum, licebat, vultu ſaltem manuque faventes. Contra hîc omnia videmus, tam in *Ædificiis*, quam in *Area* inter duo tantummodo Ædificiorum latera, vaſtitatem atque hominum ſolitudinem, aliorum laterum, quibus area illa concludenda erat, nec volam, nec veſtigium. Imo *Incendiorum* adhuc graſſantium, quibus incolæ fugati fuerint, indicia ſatis manifeſta, fractam columnam, Theatra & Circum ſemicombuſtum, *favillas* adhuc in aëre volitantes. Ideone *Capitolium* à *Gallis* intactum, nec ullis incendiis imminutum Auctorem tuum ignoraſſe putabimus, quacunque demum ætate eum vixiſſe fingemus, ſeu veteris, ſeu novi etiam Capitolii? Veteris quidem Capitolii Ethnica monumenta nulla ſupereſſe agnoſcit *Juſtus Ricquius.* Deſolationi tamen illi obſtabant nova Ædificia in eorum locum paullatim à *Chriſtianis* ſuffecta. Veteris autem Capitolii, quale à *Donato* ipſoque *Ricquio* deſcribitur, nullas prorſus in tua Parma reliquias reperimus. *Porticus* nullas, quæ ad montis Capitolini pedem conſtructæ erant, *Clivos* nullos, qui tamen duo erant in monte Capitolino, nec *ſubſtructionem lapideam* inter clivos mediam. Sed ne quidem *gradus* ullos quibus in ſubſtructionem, vel clivos eniti liceret. Sed nec *luco* locus eſſe potuit in rupe Capitolina. Ego nihil quicquam video quod Capitolii vel ſuſpicionem menti intuentis injiceret, niſi forte *lapideam* horum Ædificio-

rum *structuram*, vel ipsam Ædificiorum *altitudinem*, pro Capitolinæ Majestatis Argumentis quis habendas esse censeat. Sed parum ille memor sit oportet quanta fuerit ipsius Urbis *Majestas*, qui ita Argumentari vellet. Quam *lateritiam* accepisset Urbem Romanam, eandem se *marmoream* reliquisse gloriabatur *Augustus*. *Suet*. vit. c. 29. Nec immerito. Integram enim pristinæ Urbis pene *formam*, pro Imperii diuturnitate, novare licuit. Urbis enim formam illam quæ ex *Insulis* constabat & *Domibus* primus ipse, ut videtur, introduxit. Nec enim *Insularum* nomen in Urbe proprie ita appellata, ante *Augustum*, ut opinor, invaluit, quod tamen in Urbis non tantum *Notitiis* verumetiam in *incendio Neronis* receptissimum erat. Sic *casis* Pauperiorum, pro suo cujusque censu, locus nullus relictus est. *Domus* enim pauciores erant, utpote Virorum duntaxat principum atque ditissimorum, tam amplæ, ut cum Urbibus ignobilioribus contendi potuisse docuerit *Lipsius*, ornamentis Urbium publicis, *Hippodromis*, *Spectaculis*, *Tribunalibus*, aliisque publicis Urbium ornamentis insignitæ. Et suos *Insulis* Magistratus fuisse docet *Petronius*. Ne dubitemus quin etiam illæ,quamvis majore quam *Domuum* numero, fuerint pariter amplissimæ, Urbisque Majestate dignissimæ, nostrarumque Urbium Ædificiis longe Augustiores. Nec enim ædes sibi proprias habebant Pauperiores, sed in ædium illarum superioribus tantummodo tabulatis agebant, ut Nos docuit *Juvenalis*. Tantam mutationem ille ex *Ærario* Populi Romani, quod Provinciarum non armatarum, quas ille Populo Romano concesserat, reditibus ditabatur, præstare potuit. Adjuvante, ut videtur, *Fisco*, è Principis Patriæ amantissimi munificentia, reditibusque Provinciarum etiam armatarum, quæ Principi parebant, redundantibus vectigalibus. Has forte *Insulas* per Symbola in Populum sparsa, largitus est *Nero*. vit. *Sueton*. c. 99. Nisi forte *Insulas* illas de *Insulis* in mari positis intelligamus. Maximam vero partem soli Urbani moverit oportet *Augustus*, ut duobus illis in posterum incommodis occurreret, *inundationibus* pariter ac *Incendiis*. Maxime vero in locis planis & campestribus, quales hi

hi ſunt in quibus Ædificia tuus poſuit Artifex, ut novam formam *Inſularum* Ædificiis invicem junctis daret. Hoc tamen exſpectandum erat ut *Romæ* ſuæ *Marmoreæ* Ædificia non alia quam lapidea inſereret.

42.
Nullum argumentum ex Ædificiorum *Altitudine* deduci poteſt, Verba *Plinii*, *Virgilii*, *Horatii*, &c. ac *Claudiani*, quæ illuſtrantur Exemplo *Annibalis* ſe cum *Scipione* conferentis.

Atqui Ædificiorum *altitudinem* ſaltem ſuſpectam habebunt alii, ne quem locum habere potuerit præterquam in Ædificiis primariis, qualia illa erant *Capitolii*. Sed vero in Ædificiis ad eandem normam effictis Pulcritudo Operis exigebat, ut pari omnes Analogiæ reſponderent, ſeu brevitatis,ſeu altitudinis. Sed verba *Plinii inſignem* Altitudine Urbem univerſam fuiſſe docent. De Urbis ipſius menſura locutus, illa demum ſubjungit? "Quo, "ſiquis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æſti-"mationem concipiat, fateaturque nullius Urbis magni-"tudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari." *Nat.Hiſt.* III. 5. Sic item Poëtarum Romanorum Princeps: *altæ mœnia* Romæ. *Æn.* I. v. 7. Ad quem locum *Servius*, præter alias hujus Epitheti interpretationes hanc etiam accenſet: *propter Ædificia*, inquit, *ingentia*. *Claudianus* : *Qua nihil in terris complectitur altius aër.* Et alibi quoque *Maro*,

Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos
Noram: ſic parvis componere magna ſolebam.
Verum hæc tantum alias inter Caput extulit *urbes,*
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Eclog. I.

Verba *caput extulit* ad illud referenda ſunt quod primo mox in Urbem ingreſſu, quaſi novum, nec antea à ſe viſum obſervaturus erat Ruſticus. Ædificiorum ſcilicet altitudinem. Hunc altitudinis exceſſum æſtimare ſe ſolitum fuiſſe dicit, pro ea proportione quam in Ruſticis animalibus obſervaverat, immatura & matura ætate præditis. Sed longe ſe hallucinatum agnoſcit, eamque potius proportionem propius accedere vult quæ inter cupreſſum arborem altiſſimam, & virgultum breviſſimum intercedebat. Proinde Urbis, ante Barbarorum ſtrages,

florentis

florentis ſtatum ex illa ipſa Ædificiorum *altitudine* colligimus. Nec ſane incongruum erat, quum aliæ minoris longe famæ Urbes de ſua altitudine gloriarentur, ut Urbem Imperii Romani, quod, pro ſermone illius Seculi, Orbem complectebatur univerſum, ut hanc quoque gloriam Patriæ ſuæ aſſereret *Auguſtus*, ut quanto Majeſtate reliquas Imperii Urbes omnes præcedebat, tanto etiam Ædificiorum ſplendore atque altitudine præcederet. Urbes altas memorat *Horatius*. Et *Trojam* nunc αἰπεινὴν, nunc ὑψιπύλην celebrat *Homerus*. Et Solis *Regiam ſublimibus altam columnis* celebrat *Ovidius* Metam. II. Hoc ergo decus Urbi Principi addendum cenſuit *Auguſtus*, ut reliquas Imperii Romani Urbes non ſuperarit modo, verumetiam tanto fuerit intervallo ſuperior, ut nullam Urbem pateretur æmulam, quæ cum ea poſſet de hac gloria contendere. Id volebant verba, ni fallor, Poëtæ: *Cui par nihil eſt, & nihil ſecundum*, de quorum ſententia dubitare video virum Eruditum. Verum ea facilis erit atque expedita, ſi pro *Styli Agoniſtici* more explicetur. In illo ſecundarum tertiarumque partium ſua cuique erant, pro meriti gradu, ἀριστεῖα. Sed imparis manifeſte æmuli cum eo qui longe ſuperior erat, honorem minuebat, non augebat ei qui longe maniſeſtiſſimeque meriti imparitate æmulum, cum quo contendebatur, exſuperaſſet. Ita Naſonianus *Ajax*,

——— *demit honorem Æmulus*
Qui quum victus erit mecum certaſſe feretur.
Metam. XIII.

Sic dedignabatur *Alexander Magnus* experimentum velocitatis, qua συνηλικιώτας præſtabat, exhibere, niſi cum ſui Ordinis Principibus experiri licuiſſet. Sic *Annibal*, quum illius ſententiam de primario ſuorum temporum Duce rogaſſet *Scipio*, primo *Alexandrum*, tum deinde *Pyrrhum*, denique ſeipſum poſt *Pyrrhum*, nominaſſet, perſtanti adhuc in Diſputatione *Scipioni*, quo ſe in loco numerandum cenſeret, qui ipſum viciſſet *Annibalem*, ita denique Reſpondit, quaſi illum numero omni ſuperiorem agnoviſſet. Hoc certe tantundem valebat, acſi dixiſſet, neminem fuiſſe Ducem qui cum eo contendi

poſſit,

possit, aut numero aliquo cum illo communi contineri possit, ita prope ad illum accessurus, ut vel secundam post *Scipionem* ἀειςείαν meruisset, tanti exempli, quod pene plusquam Humanum arbitrabatur, fulgore quodam, quasi Divino, perstrictus. Idque volebat *Claudianus* quum visu Humano superiora eadem facit Ædificia. Hoc enim conabantur *Romæ* Principumque Romanorum adulatores, ut *Romam* Deam, & Terrestri regione superiorem facerent. Sic enim digna sedes fieret *Cæsaribus*, quos Divinis honoribus prosequebantur, etiam vivos, ante ætatem tui Artificis. Ita certe summum honoris gradum extulit *Horatius*, ut sublimi feriret sidera vertice. Ratio ergo nulla est cur ex horum Ædificiorum altitudine ea Capitolii propria fuisse colligamus, quum omnes in Imperio Romano Urbes hoc ipso nomine superarit Urbs ipsa Romana. Sed nec ulla muri Capitolini vestigia hîc videmus. Ædificia hæc à solo surgunt. Non ita muri Capitolini. In rupe Capitolinâ fundamenta habebant, quæ tamen rupes magnam altitudinem habebat, quæ murorum celsitudo rupi addita, adhuc enormiorem utriusque invicem juncti, tam muri quam rupis celsitudinem augebat. Sed nulla in tuo monumento rupes, nullus in rupe murus, nullæ in mare pinnæ ad muri tutelam necessariæ. Frustra ergo hîc *Capitolium*, quod nec res ipsa admittebat, nec Auctoris tui consilium.

43. Capitolii à *Tibere* Distantia . . . . .

Suppetit & aliud invictum Argumentum, quod horum Ædificiorum partem alteram ab altera, à *Tiberi* fluvio hoc in loco cursum suum obliquanti separari videamus, quum tamen certum *Tiberis* alveum nullum per Capitolium decurrere, sed nec alium quemcunque quocunque demum nomine fingatur, ...

Hucusque Vir Summus Dissertationem suam de Parma tua (Ornatissime Woodwarde) *perduxit, quam mihi, ut ad Te mitterem, demandavit. In hac concinnanda, dum vires sinerent, Veterum Monumenta, Nuperorumque doctorum Observationes solita diligentia indefessus evolvebat, ut exinde Tempus, quantum dignosci potuerit, quo Parma hæc excudebatur, erueret. Sed proh dolor! Febris, eaque tandem fatalis, filum abrupit.*

Optime

Optime vero contigit, quod Telam pene absolverat, quum Deus Opt. Max. eum Anno ætatis septuagesimo à nobis eripuit. Gestiebat Vir Doctissimus Libros quosdam Veterumque Monumenta, quæ penes eum ruri agentem non erant, inspicere. Inter hæc sæpius de libris, qui Neronis Decursiones *narrant, de* Columnis Cæsarum, *earumque Inscriptionibus, uti* Trajani, Antonini, *præsertim vero* Titi *mecum confabulatus est, utpote quæ huic rei Lucem maximam adferre arbitrabatur; eaque de caussa sæpe* Londinum *aut* Oxoniam *visendi, ubi hæc præsto sunt, desiderio tenebatur. At infirma valetudo id non patiebatur. Nullus dubito, quin Viris Doctis, immo iis (siqui sunt) qui ab eo de Parmæ Antiquitate dissentiant, Tractatus hic erit gratissimus; dum in eo plurima, quæ ad illustrandas* Romæ *Antiquitates, & ad explicandum* Polybium, Josephum, *aliosque de Romanorum armatura disserentes, maxime conducunt, aliaque lectu dignissima, quæque ab aliis Eruditis minime observata sunt, invenient. Interea oblivisci non oportet qua de caussa* Cl. Dodwellus *hanc Provinciam suscepit, nempe, ut hinc Te (Doctissime* Woodwarde*) alliceret ad* Historiam Terræ, *quam pridem aggressus es,* dum Vires annique sinunt, *pro virili prosequendam; quum, ad Sacræ Historiæ de Diluvio Veritatem asserendam, ad Creatoris gloriam in tanta Operum ejus Varietate à Te enumeranda promovendam, (ut cetera id genus omittam,) quibus Viro Optimo nihil antiquius, hanc Tuam Historiam cessuram arbitrabatur.*

Quædam Vir Optimus meditatus est, uti D° Francisco Cherrio, *(Viro Erudito, Dignissimo, & Integerrimo, studiisque illius Socio) mihique paullo ante obitum, narravit; quæ in Ecclesiæ commodum, cui se præcipue devoverat, maxime cessura fuerint, modo Deus ei ulterius vitam concesserit. Jam vero* ἐκ πόνων αὐτοῦ ἀνεπαύσατο. *Nec felicitati ejus invidere videamur oportet, quum exinde* μακάριος *est, dum à nobis ereptum, Reipublicæ licet literariæ & præsertim Ecclesiæ damno, ploramus. Damnum autem hoc Amici sentiunt, & sensuri sunt: & inter eos maxime, qui Tibi (Vir insignissime) plurimum devinctus est,*

Fra. Brokesby.

Shottesbrochiæ Jun. 11. 1711.

AUCTORES

Qui in Differtatione præcedente emendantur, illuftrantur, notantur.

COLLEGIORUM

SCHOLARUMQUE PUBLICARUM

ACADEMIÆ

OXONIENSIS

TOPOGRAPHICA DELINEATIO,

Per THOMAM NELUM.

E Codice MS. in Archivis Bibliothecæ Bodlejanæ descripsit ediditque

THO. HEARNE, A. M. OXONIENSIS.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO,

MDCCXIII.

THOMÆ NELI
Vita ex Historia & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis, Lib. II. p. 138. b.

THOMAS NELUS, vulgo Neale, apud Yeate in agro Glocestrensi natus, Magistri Alexandri Belsire, Avunculi sui (Hic Socius primo Collegii istius [*Novi*] ac Præses deinde San-Johannensis deprehenditur) opera Collegii Wintoniensis alumnus, singulisque Infantiæ disciplinis quam optime imbutus ad Collegium hoc Novum transfertur, ubi peracto Probationis biennio pleno Socii jure donatur anno CIↃDXL. Literis post hæc Academicis sedulo invigilans, Theologus eruditus & Linguarum Græcæ ac Latinæ haud mediocriter evasit peritus, quibus nominibus in summam apud literatos omnes & literatorum Patronos gratiam influxit, quorum de numero Thomas Whyte, miles, collegii San-Johannensis fundator dextram Juveni liberalem porrexit, quippe cujus inopiam annuo decem librarum stipendio (quo quidem longo temporis spatio fructus comparet) sublevavit. Ineunte Mariæ Reginæ Regno, Bonnero episcopo Londinensi à sacris fuit, annoque LVI. ad Lectionem Libri Magistri Sententiarum nobiscum admissus est, quo tempore Thenforthiæ in comitatu Northamptonensi Rector exstitit Parochialis. Ceterum postquam Serenissimæ Elizabethæ obtigisset Sceptrum Anglicanum, Patrono orbatus Oxoniam denuo pervenit, annoque LIX. Professoris Hebraïci munus consequebatur, in quo quum decennio integro versatus fuisset, animi dubius & ad Pontificios propendens (nutabat enim semper, neque cultum eorum neque reformatum serio unquam amplectebatur) eodem excessit. Hinc inter Aulæ Cervinæ Commensales numeratus, Cameram unam atque alteram è regione Sodalitii ejus (siquidem Peristylio Collegii Novi occiduo adjacebant) exædificavit, quas quum annos aliquot

quot incoluiſſet, male metuens ne quod rei divinæ ſacræque Synaxi ſecundum Leges Regni minime intereſſet moleſtia ſibi aliqua crearetur, Caſſingtonam (Pagus ille obſcurus eſt, ad quartum ab Urbe Oxon. lapidem poſitus) commigravit, coëmptoque Domicilio, ad vici ejus exitum Einſhamiam ſpectantem locato, vitæ reliquias Deo bonarumque literarum ſtudio dicavit. Virum illum quod attinet, ad Theologiæ Linguarumque peritiam, Philoſophiæ, rei Poëticæ, necnon Geographiæ cognitionem adjeciſſe comparet; Locorum quoque ac Ædificiorum pingendorum Artem haud modice calluit. De Libris quos conſcripſit omnibus mihi quidem conſtare parum fateor; dubium tamen non eſt quin

Rabbinorum quorundam Libros plures ex Hebræo in Latinum tranſtulerit, & Reginaldo Pole, Cardinali nuncuparit. Id operis ab illo quod Sereniſſimæ Elizabethæ, Oxoniæ agenti, anno CIƆDLXVI. (velut ſub eodem retro dictum) obtulit alienum an fuerit dijudicare nequeo; utcunque pro comperto eſt Libellum alterum, à ſe exaratum, Collegiorum vero noſtrorum omnium Imagines, una cum * Verſiculis quibuſdam Fundationem cujuſque enarrantibus, complectentem, eodem tempore porrexiſſe; qui quidem Libellus in Bibliothecæ Bodlejanæ Archivis etiamnum conſpicitur.

Obiit ipſe Caſſingtonæ, inque Viculi ejus Eccleſia ſepultus jacet; ad Templi autem partem ſuperiorem affixa parieti eſt Lamina ſeu Tabella ænea, Epitaphio iſto (id ipſe paullo ante mortem compoſuit) inſignita.

Hîc jacet elinguis qui linguis pluribus olim
Uſus, Hebraïſmi publica lingua fuit.
Græca quid hîc? quid Hebræa juvat? quid lingua Latina?
Si qua alios juvit, nunc ea ſola juvat.
Vos ergo Thomæ Neli quos lingua juvabat,
Elinguem lingua (quæſo) juvate pia.

---

* Exſtant in Europæi Orbis Academiis per Mileſium Windſore, Edit. Lond. 1590.

Sub-

Subſcriptio ipſius Authoris.

Hos Egomet verſus poſui mihi ſanus ut eſſem,
Hinc prævisa mihi mortis imago meæ.
Anno Domini 1590. *ætatis meæ* 71.

Quandonam ſepulturam in eadem Eccleſia accepit neſcio ob hiulca loci Regiſtra, quæ ſedulo exploravi.

Hæc Woodius noſter. Et recte quidem innuit diem annumque Neli obitualem in Regiſtris Caſſingtonianis deſiderari; utpote quæ valde ſunt imperfecta eorum incuria atque negligentia, quorum fuit hujuſmodi res notare. Minus tamen recte ait Neli verſiculos, quos edimus, exſtare in Europæi Orbis Academiis, per Mileſium Windſore. Pars enim tantummodo ibi habentur, inverſo etiam ordine, & omiſſis Collegiorum Scholarumque Publicarum Delineationibus, quas Antiquarii noſtri vehementer expetunt. Quid quod & Woodius non indicaverit in ænea lamina effigiem quoque Neli, in involucro nempe ferali extenſi & barbam promiſſam habentis, comparere? Mox poſt effigiem ſequitur Subſcriptio, quam tamen non integram exhibuit Woodius; uti nec verba, quæ adhibuit, accurate deſcripſit. Hunc enim in modum tota Subſcriptio exprimenda fuerit:

Subſcriptio ipſius Authoris.

Hos egomet verſus poſui mihi ſanus, ut eſſet
Hinc prævisa mihi mortis imago meæ.
Etiamſi occiderit me
In ipſum tamen ſperabo, Job *cap.* 13°.
Anno domini 1590. *ætatis vero meæ* 71.

Aſpicis,



Aſpicis, ut viget hæc fixis radicibus arbor?
Hac illac patulis frondibus aucta ſuis?
Arbor Hebraïſmi typus eſt, quæ frondibus auctam
Se gaudet nummis, Eliſabetha, tuis.
Plantavit Deus hanc primus ſator in Paradiſo,
Verbaque mortales juſſit Hebræa loqui.
Tranſtulit huc olim Pater hanc tuus inclytus; ejus
Tu pia radices, Eliſabetha, rigas.
Par eſt ergo tibi fructus hos proferat arbor,
Sumptibus (ô Princeps maxima) culta tuis.

SERENISSIMÆ AUGUSTISSIMÆQUE PRINCIPI DOMINÆ

ELISABETHÆ REGINÆ

Angliæ, *Franciæ*, ac *Hiberniæ*,

Christianæ fidei propugnatrici &c.

Fausta feliciaque sunto omnia.

HABES en (illustrissima Princeps Elisabetha) Oxoniensis Academiæ tuæ Collegiorum Scholarumque publicarum qualemcunque topographicam delineationem, calamo partim scriptorio, partim carmine poëtico sub Dialogi forma utcunque expressam, ejus ut universam imaginem præsentem, quasique ob oculos expositam, pro tuo arbitratu habeas, cujus incolæ bonarum artium omnium studiosi sub auspicatissimo hoc regno tuo, haud aliter ac sub Minervæ cujusdam clypeo tuti, ardentius nihil obnixiusve à Deo opt. max. contendunt, quam ut omnes ac singuli suam tibi, quam summam debent, observantiam, fidem, industriam certatim præstare possint. Cujus quidem delineandæ ratio tametsi crassiore quadam Minerva & impolitiore tum stilo, tum carmine constet quam ut regiæ Majestatis tuæ aspectu digna videri possit, dabis tamen (ut spero) veniam primis hisce conatibus in re nova, qui non alio, quam gratulandi animo Serenissimæ Majestatis tuæ quam exoptatissimo huic ad nos adventui instituti sunt. Illud vero in universum quam fieri potest

humillime ſupplex regiam Majeſtatem tuam rogatam velim (Princeps auguſtiſſ.) ut quæ

——————— pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas,

eam mihi nequaquam hîc intercluſam eſſe velis, interea temporis dum regiæ Majeſtatis tuæ nomini ampliſſimo Dialogi partem alteram interlocutoriam attribuo, alteram vero honoratiſſimo Domino Roberto Dudlæo, Comiti Leceſtrenſi noſtroque Cancellario digniſſimo viciſſim accommodo. Servato tamen utrobique (quod ſpero) utriuſque tum tuæ, tum illius perſonæ decoro. Argumentum porro Dialogi tale fingitur, quale ex abrupto, vel è re nata deſumptum videri poſſit. perinde ac ſi te (Regina nobiliſſima) Woodſtochio diſceſſuram Cancellarius interrogaret, ecquo tandem proficiſci luberet, ut ex eo arrepta deinceps occaſione, futuræ narrationi topographicæ via quaſi ſterni videatur. Quæ ſi Regiæ tuæ unius præſtantiæ quoquo modo grata eſſe poterit, eadem tum aliis multo gratior, tum mihi quoque qualiſcunque hæc opera quam gratiſſima fuerit. Faxit deus opt. max. ut quam diutiſſime valeas.

Sereniſſimæ Majeſtatis tuæ obſequentiſſimus
Alumnus, Thomas Nelus,
Hebraïcæ linguæ Profeſſor Oxon.

Dialo-

Dialogus in adventum Reginæ Serenissimæ Dominæ Elisabethæ gratulatorius, inter eandem Reginam & Dominum Robertum Dudlæum Comitem Leceſtriæ & Oxonienſis Academiæ Cancellarium.

INTERLOQUUNTUR


REGINA & CANCELLARIUS *OXON.*

Cancell. SICCINE (chara tuis, regnique columna Britanni
Eliſabetha) domo pergis abire tua?
Regina. Non ego pergo domo peregre procul hoſpes abire,
Sed quo pergo, mea eſt urbs ea tota domus.
Cancell. Quod res eſt loqueris, (Princeps ter maxima,) tota
Nam Regni ſedes eſt domus iſta tua.
Regina. Quum ſint ergo domus mihi plures, pluraque tecta,
Quid ni mutarem tecta ſubinde mea?
Cancell. Sed ſi pace tua liceat mihi ſcire, lubenter
Hoc equidem ſcirem quo tibi tendat iter.
Regina. Oxonium verſus pergo, Muſiſque dicata
Tecta peto, Muſis concomitata meis.
Cancell. Et quæ tanta ſubit Muſas ibi cauſſa videndi,
Quum ſit Muſarum præſto caterva domi?
Regina. Ipſamet illa domi Muſarum præſto caterva
Has ſibi ſacratas ſuaſit adire domos.

Cancell. Næ tu digna tuis perſolvis præmia Muſis,
Dum loca Muſarum viſere ſacra paras.
Regina. Ecquid enimvero rerum ſpectabo novarum?
Dignumve adventu Principis ecquid habet?
Cancell. Urbs antiqua tuis viſenda patebit ocellis,
Et manibus cives oſcula fida dabunt.
Regina. Num quid præterea dignum aut memorabile cernam?
Quod merces tanto digna labore ſiet?
Cancell. Cernes præcipue Muſarum quinque ter ædes,
Urbs quibus Europæ non habet ulla pares.
Regina. Tune ergo has ædes noſti, quas Thamiſis, amnis
Inclytus, alluvio cingit utrinque ſuo?
Cancell. Quidni pernoſcam? quarum dux eſſe lubenter
Jam pridem cœpi, nec piget eſſe ducem.
Regina. Siccine tu ſubito Muſis Dux eſſe volebas,
Qui Leceſtrenſis diceris eſſe Comes?
Cancell. Non minor eſt ſtudiis, quam caſtris, fama *præeſſe,
Et Ducis & Comitis nomen utrumque juvat.
Regina. Quin harum breviter mihi nomina pande domorum,
Quis, cui, quam, tulerit fautor & author opem.
Cancell. Hoc equidem faciam quanta brevitate licebit
Paucula metiri pluribus apta metris.

* Sic in MS.

Prima



Prima ſtat auſtralis Domus ampla, Eccleſia Chriſti,
  Primo jam duplici nomine digna loco;
Tum quia te, patremque tuum ſit nacta patronum,
  Tum quia ſit reliquis auctior iſta cohors.
Cœpta quidem Thomæ Wulſæi ſumptibus olim,
  Sed patris Henrici cenſibus aucta tui.


Cœpit ſub Henrico octavo, per Thomam Wulſæum Archiepiſcopum Eboracenſem, Anno Domini 1529. abſoluta eſt ab eodem Henrico octavo, Anno Domini 1546.

Regina

Regina interloquitur.

Regina. Unde fit, ut, poſſet quum plures illa fovere,
Non foveat numeros undique plena ſuos ?
Cancell. Tot fovet illa quidem, quot par eſt cenſus alendis.
Et plures aleret pluribus aucta bonis.
Invida ſed Muſis mors immatura Patroni
Fecit, ut hîc poſſit pluribus eſſe locus.
Regina. Eſt ergo cui quis poſſit prodeſſe : paratæ
Materiæ citius debita forma datur.


Cancell.



Cancell. Sed pergam in reliquis. ſtat Muſis ſeptima ſedes
Orial, ô vere regia dicta domus.
Annis illa valens, Edwardi tempora vidit,
Qui rex illius nominis alter erat.
Condidit hanc Adam quidam cognomine Brownus,
Et regi nomen detulit ille ſuo.

Cœpit ſub Edwardo ſecundo per Dominum Adam Browne, Eleemoſynarium ejuſdem Edouardi, Anno Domini 1323.

Quinta



Quinta jubet noſtræ memores nos eſſe ſalutis,
Quo modo, & unde ſalus parta ſit illa docens.
Quam Deus aſſumpto quia Chriſtus corpore donat,
Corporis à Chriſti nomine nomen habet.
Cenſibus hanc amplis Richardus Foxus abunde
Suſtinet, & Muſis apta dat eſſe loca.


Cœpit ſub Henrico Septimo per Richardum Fox, epiſcopum Wintonienſem, anno Domini 1516.

Nec



Nec procul hinc diſtat, quæ ſexta eſt ordine, Merton,
Seu Mertonenſis dicta perampla Domus.
Gualterus Merton Præſul (quo Præſule Roffa
Floruit) huic Domui fautor & auctor erat.
Quæ quamvis multos foveat pia mater alumnos,
Ædes ſacra tamen pluribus apta foret.

Cœpit ſub Edouardo primo per Gualterum Merton epiſcopum Roffenſem, Anno Domini 1276.



Proxima mox ſequitur ſatis ampla frequenſque ſtudentûm
Turba, novi cœtus nomen adepta diu.
Turribus hæc altis toto micat æthere, raris
Doctrinæ gemmis vitis onuſta ſuis.
Condidit hanc Præſul Guilielmus, in urbe Wykama
Proles ter fauſto ſydere nata, Wykam.

Cœpit ſub Richardo ſecundo per Guilielmum de Wykham epiſcopum Wintonienſum, anno Domini 1375.

Nec



Nec minus eſt celebris domus ampla, dicata Mariæ,
  Cujus ſacra fidem Magdala caſtra docent,
Splendida munificum teſtantur tecta patronum,
  Æmula ſplendoris digna, Wykame, tui.
Indidit huic nomen Guilielmus Waynflet, alumnus
  Unus & ipſe gregis, magne Wykame, tui.

Cœpit ſub Henrico ſexto per Guilielmum Waynflet epiſcopum Wintonienſem, Anno Domini 1459.

Cancellarius interloquitur.

Cancell. Debebant paribus Collegia cetera verbis
Deſcribi, mora ni tædia longa daret.


Regina. Perge modo, & reliquis data nomina prima recenſe,
Auribus hæc parient tædia nulla meis.



Cancell. Corpora præpropero ſtudio plerique ſaginant,
Nec curant animas ſedulitate pari.
Id ne Muſarum faceret ſtudioſa juventus,
Admonet appoſito nomine quarta Domus.
Sumptibus Henrici Chichlæi ſtructa, juvandæ
Ceu foret hæc animæ tota dicata Domus.

Cœpit ſub Henrico Sexto per Henricum Chichlæum Archiepiſcopum Cantuarienſem, Anno Domini 1437.

Huic



Huic itidem ſimilis Paſtor Robertus Eglisfild
  Reginæ munus donat & ipſe ſuæ.
Nam Reginalem quum Magnis ſumptibus ædem
  Fundaſſet, vocat hanc (clara Philippa) tuam.
Femina quô Muſis nutrix, non dura noverca,
  Pergeret, & ſtudiis Mater adeſſe pia.

Cœpit ſub Edowardo Tertio per Dominum Robertum Eglisfild, Sacellanum Dnæ. Philippæ, uxoris ejuſdem Edowardi, Anno Domini 1340.

En



En tibi jam prodit ſpecioſa Academia, quæ quum
  Sit ſpecies, generis nomen adaucta tenet.
Ut Logicè ſpecies generatim ſæpe vocatur,
  Et pars pro toto corpore ſæpe venit.
Huic Dunelmenſis Guilielmus presbyter ædi,
  Communi ſtudiis nomen ab urbe, dedit.

Cœpit ſub * Aluredo,per Dominum Guilielmum Archidiaconum Dunelmenſem, Anno Domini 873.

* Lege potius, *Cœpit ſub Aluredo rege A. D.* 873. *Reſtaurat. per Guil. Archid. Dun. circa A. D.* 1249.

Regina


Regina interloquitur.

Regina. Illud in his ſumma puto dignum laude, quod ipſi
Noluerint titulis luxuriare ſuis.

Cancell. Omnibus hæc eadem laus eſt communis, habetque
In reliquis itidem laus ea vera locum.


Regina. Summæ laudis erat, geſtis tot rebus honeſtis,
Laudibus auctores abſtinuiſſe ſuis.

Cancell. Tres aliæ reſtant incluſæ mœnibus ædes,
Quas nullo fas eſt præteriiſſe modo.



Æneus his nasus prælucet, ut insula ponto
  Prominet, aut reliquo nasus in ore nitet.
Quæ domus impensis Guilielmi structa Smythæi,
  Æneo & æterno nomine digna manet.
Multis illa quidem turbis conferta studentûm,
  Spes ut sit messis magna futura bonæ.


Cœpit sub Henrico 7°. per Guilielmum Smythe episcopum Lincolniensem, Anno Domini 1513.



Huic latus occiduum claudit Lincolnia sedes,
  Quæ sibi Patronos gaudet habere duos.
Alter erat Thomas Rotheram, Richardus & alter
  Fleminge, ejusdem Præsul uterque loci.
Quos ubi ditarat Lincolnia, gratus uterque,
  Non sibi, sed sedi dona dat ista suæ.

Cœpit sub Henrico 5°. per Richardum Fleminge episcopum Lincolniensem, Anno Domini 1420. Auctum per Thomam Rotheram, episcopum Lincolniensem, A°. 1479.

Distat



Diſtat ab Oxonio ſpatiis Exonia multis,
Et procul occidui vergit ad ora maris.
Attamen Oxonii ſedes Exonia fixas
Invenit, & Muſis jam ſit amica quies.
Condidit has Præſul Gualterus Stapleton ædes,
Indidit & ſedi nomina digna ſuæ.

Cœpit ſub Edouardo 2°. per Gualterum Stapleton epiſcopum Exonienſem, Anno Domini 1316. Auctum ſub Eliſabetha Regina per Dominum Guilielmum Petræum ordinis equeſtris militem inauratum 1566.

Regina interloquitur.

Regina. O pia pontificum mens hæc! ô tempora fauſta
Quæ tantos clero progenuere viros!
Cancell. Clerica ſic olim concors concordia clero
Certatim voluit ferre libenter opem.
Sed ne ſola ſuos videatur clerica turba,
Et Muſas opera velle fovere ſua,
Arctica ſi lubeat pomœria pulchra videre,
Hiſce parem laïcos ferre videbis opèm.
Regina. Siccine conjunctis certatum eſt viribus, urbs hæc
Ut fieret ſtudiis tota dicata ſacris?
Quin age dic laïco quot habemus in ordine, Muſas
Auctas hîc opera qui voluere ſua.
Cancell. Illud ego (Princeps ter magna) lubentius addam,
Tota quòd hîc noſtræ laudis harena patet.
Sed mihi reſtat adhuc prædictis ædibus, intra
Muros, appendix adjicienda prius.
Quæ tua quum laus ſit, (Guilielme Petræe) lubenter
Reginæ dabis hîc nonnihil ultro tuæ.
Quod te præcipue videatur amare, ſuiſque
Conſiliis præſto ſemper adeſſe velit.
Patria te jactat genuiſſe Devonia, & urbs hæc
Gaudet ſe ſtudiis inſtituiſſe ſuis.
Sumptibus ergo tuis tu gratus utrique parenti,
Auxiliatrices reddis utrinque manus.

Ut

Ut quas exiles prius hîc Oxonia habebat,
  Has habeat plenas jam ſatis aucta domos.
Aucta quidem numero, ſed & amplis cenſibus aucta,
  Clara ſub imperiis Eliſabetha tuis.
Quæ quales, quantoſque tibi promittat alumnos,
  Ex uno diſci cetera turba poteſt.
Is Berblokus * erit, cujus dexterrima dextra
  Has formas mira dexteritate dedit.
Quin age, macte tua virtute (Petræ) fovendis
  Fœtibus hiſce tuis quam potes adfer opem.

* Vide Præfat. noſtram.


Urbis



Urbis at egreſſæ jam mœnia, proxima ſedes
Occurrit Thomæ ſumptibus aucta Popi.
Quam ſacroſanctæ Triadis cognomen habere
Juſſit inauratus Miles, equeſtre Decus.
Hujus adhuc teneros fœtus, pia mater adauget
Conjunx, tam digno conjuge digna ſuo.

Cœpit ſub Maria Regina per Dominum Thomam Popum, ordinis equeſtris militem inauratum, Anno Domini 1556.

Sed



Sed minus hoc mirum eſt, noſtrates hactenus urbem
  Hanc juviſſe, ſuam cui Scotus addit opem.
Clarus Ioännes regali ſtemmate natus
  Balliol, hîc Muſis atria clara locat.
Qui patria pulſus, patriæ jam redditus, Anglis
  Hos fidei teſtes obſequiique dedit.


Cœpit ſub Edwardo primo per Joannem Ballioll Regem Scotiæ, Anno Domini 1265.

Tranſitio

Tranſitio ad deſcriptionem ultimi Collegii.

Ultima poſtremo jam commemoranda triumpho,
Reſtat Ioänni ſacra dicata domus.
Quæ licet extremo claudatur fine laborum,
Chara vel in primis eſt tamen illa mihi.
Sicut Iäcobo Patriarchæ Benjamin olim
(Excepto Joſeph) primus amore fuit.

Cancell.




Cancell. Has Thomas Whitus, Londini gloria, raras
Mercator merces donat, emitque ſuis.
Qui Londinenſi bis Prætor in urbe, ſuperſtes
Vivit adhuc, equitum non mediocre Decus.
Faxit ut ille diu vivat, valeatque ſuperſtes
Muſis, ac demum cœlica regna petat.

Cœpit ſub Maria Regina per Dominum Thomam White, ordinis equeſtris militem inauratum, Anno Domini 1557.

Cancell. Quod ſi plura libet paucis audire, ſuperſtes
Reſtat adhuc ſacris ſacra dicata ſchola.


Regina. Quin age ſacra mihi ſchola ſumme audita placebit :
Et reliquis colophon ædibus aptus erit.

Cancell.



Cancell. Eminet, & mediæ faſtigia ſuſpicit urbis,
Dux Humfrede, tuis ſumptibus iſta ſchola.
Surgit in immenſum turritis undique pinnis,
Sectaque perpulchro marmore, quadra Domus.
Splendida luminibus crebris laquearia fulgent,
Artificumque nitent pendula ſaxa manu.

Cœpit ſub Henrico Sexto per Dominum Humfredum Ducem Gloceſtriæ, Anno Domini 1447.



Imminet huic ſeries bis quinque inſtructa domorum,
Semita qua ſtudiis omnibus una patet.
Sumptus hos fecit Regina Maria, deditque
Unde novas poſſis haſce videre Scholas.
Eliſabetha ſoror tu digna ſorore Maria,
Pro pietate tua, quas dedit illa, foves.
Gratia ut æqualis jam detur utrique ſorori,
Altra quòd has foveat, quòd dedit altra Scholas.

Tranſitio

Transitio ad Aulas, seu hospitia litteraria.

Cancell. Hiis sed adhuc arctis nolens contenta videri
Finibus, est aliis urbs quoque culta locis.
Scilicet hæc aulis olim plenissima, Musis
Parturiit fœtus urbs populosa novos.
Quæ nova progenies urbisque Colonia ducta,
Crevit in immensum viribus aucta suis.
Tempus edax rerum multas absumpsit, & aulæ
Quædam dant dictis ædibus apta loca.
Aulas jam tot habet, quot habent sua nomina Musæ,
Et par est numero turba novena novem.
Regina. Quin age ne pigeat, quum sis Præfectus & Aulis,
Aularum nobis nomina trita dare.

Descriptio Aulæ Cervinæ.

Cancell. Harum quæ forma est pulcherrima, proxima tectis
Aula, Wykame, tuis ordine prima subit.
Quæ licet hîc primas videatur habere, sororum
At nulli laudem detrahit illa suam.
Inclyta nobilium numerosa pube referta,
Cervina à cervi nomine dicta domus.
Eminet hæc aliis formæque situsque nitore,
Ut cursu canibus cerva præire solet.
Unde suo merito Cervina hæc dicitur Aula,
In media Cervi cornua fronte gerens.

Epitome aliarum Aularum.

In reliquis sermo fiet contractior, octo
Quæ restant variis undique sparsa locis.
Aulica duntaxat vulgataque nomina paucis
Attingam, & brevibus puncta notabo metris.
Regina. Sed cave, ne nimium dum tu brevis esse laboras,
Obscurus fias hac brevitate tua.
Cancell. *Candida*, *Lata*, *Nova*, studiis civilibus apta,
Porta patet Musis, Justiniane, tuis.
Quæ restant, aliis discendis artibus Aulæ
Sunt propriæ, quibus hæc nomina prisca manent.
Sacra *Mariæ*, *Alburnensis*, *Glocestria*, divi
Edmundi, ac demum *Magdalis* aula frequens.

Per-

Peroratio Cancellarii.

His inclusa modis en qualiacunque Ducatus
Septa mei, Princeps Elisabetha, vides.
Regina. Ex his jam tandem, Roberte, intelligo, cur tu
Dux magis hîc, alibi quam Comes esse velis.
Næ tu præclarum nactus videare Ducatum,
Cui sunt tantorum tot monumenta virûm.
Siccine currenti (quod vulgò dicitur) istis
Carminibus properas subdere calcar equo?
Ut magis hæc lubeat præsentia cernere, quæ tu
Magnifico narras ore stupenda loca?
Cancell. Quod si audita placent, multo magis ista placebunt,
Si præsens oculis hauseris ista tuis.
Regina. Quin age tu comitem mihi te (comes inclyte) præbe,
Ut monstres digitis quæ modo lingua docet.
Cancell. Hoc equidem faciam promptus, gratesque laboris
Hujus suscepti nomine gratus agam.
Quin & tota cohors mecum prostrata studentûm
Advolet genibus se resupina tuis.
Quæ quum multa tibi (Princeps præclara) tuisque
Debeat, hoc uno nomine tota tua est.
Quòd Musis olim Mœcenas alter adesse,
Quum pater Henricus cœperit ille tuus,
Et dederit studiis stipendia digna fovendis,
Publica lectorum vox quibus ore præit,
Tu proles tali tantoque simillima Patri
Hæc larga foveas continuata manu.
Dum quas radices pater hîc plantavit, easdem
Æmula munifico filia rore rigas.
Sic sic perge tuo non impar esse parenti,
Patrizans Patri par pietate pari.
Nec dubita quicquam, quin incrementa daturus
Sit Deus, & sumptu præmia digna tuo.
Interea vero communi nomine grates,
Quas summas habet, urbs hæc tibi tota refert.
Privatimque sacræ linguæ prælector Hebræus
Privato grates nomine gratus agit.
Qui tibi ne sterilis maneat, vel inutilis arbor
Fructus, quos potuit plantula ferre, tulit.
Tu quales quales fructus (clarissima Princeps)
Oblatos hilari fronte, manuque lege.

F I N I S.

